EREMI SACRAE AUGUSTINIANAE

PARS ALTERA

IN QUA AGITUR

DE AUGUSTINIANIS EPISCOPIS EXTERIS

QUI FLORUERUNT

POST MAGNAM ORDINIS UNIONEM PERACTAM

AB ALEXANDRO IV

ANNO MCCLVI

EREMI SACRAE AUGUSTINIANAE

PARS ALTERA

IN QUA AGITUR

DE AUGUSTINIANIS EPISCOPIS EXTERIS

QUI FLORUERUNT

POST MAGNAM ORDINIS UNIONEM PERACTAM AB ALEXANDRO IV

ANNO MCCLVI

OPUS NUNCUPATUM

ILLMO AC REVMO DD.

P. MAGISTRO FR. FRANCISCO MARINELLI

EPISCOPO PORPHYRIENSI

ET SACRARII APOSTOLICI PRAEFECTO


A REV. P. MAGISTRO

FR. JOSEPHO LANTERI AUGUSTINIANO

ANGELICAE BIBLIOTHECAE PRAEFECTO, ET S. CONGREGATIONIS INDICIS CONSULTORE

ACCEDIT APPENDIX

DE PROCURATORIBUS GENERALIBUS EJUSDEM ORDINIS



ROMAE

TYPIS BERNARDI MORINI

1875.

PROTESTATIO DESUMPTA EX D. THOMA DE VILLANOVA

Ego Fr. Josephus Lanteri protestor coram Deo, et Christo Jesu, quod in omnibus, quae praedicavi et praedicavero, scripsi, et scripsero, dixi, et dixero intendo sequi sensum Sanctae Matris Ecclesiae, et Fidem Catholicam cujus examini, et directioni subjicio omnia dicta mea, et scripta. In cujus rei testimonium hanc meam protestationem propria manu subscripsi.

Fr. Josephus Lanteri

ANGLICUM REGNUM

Antiquissima aeque ac celeberrima fuit Ord. Erem. S. P. Augustini Angliae provincia. Plura jam extabant in illa magna insula ejusdem Instituti coenobia tempore Alexandrinae Eremitarum S. Augustini unionis, cum primus uniti Ordinis Prior Generalis Lanfrancus Septala illuc misit nostratem B. Guilelmum Sengham Anglum cum alio nostrate B. Albertino de Verona ut sparsa per illam regionem Eremitarum Augustinensium coenobia nuperrime unito Ordini aggregarent. Comprehendit praefata Aug. Angliae provincia usque ad Henrici VIII tempora etiam conventus Scotiae, atque Hiberniae, enumeravitque coenobia circiter septuaginta, quae omnia impius rex propter amorem mulierum contra Catholicam Religionem in furorem raptus de medio sustulit. Sic nimirum semper agere solent reges Catholicae Ecclesiae persecutores; opus manuum Diaboli incipiunt a conventuum destructione, ut sic omnibus luce meridiana pateat Ordines Religiosos validissimum esse Ecclesiae Catholicae fulcimentum, cum infensissimi ejusdem Ecclesiae hostes primos sui furoris conatus in coenobia exerere studeant. Hinc saluberrimum emicat omnibus cum laicis tum ecclesiasticis Proceribus monimentum, ut scilicet quo filii Belial audaciores sunt atque pertinaciores ad coenobitas persequendos, et conculcandos, eo ipsi fiant ad illos tuendos atque protegendos nedum procliviores verum etiam operosiores, arbitrantes si hoc fecerint, se obsequium praestare Deo; nam nullum profecto est obsequium magis acceptum Deo, quam con-

traire potestati tenebrarum, cujus procul dubio ministri sunt omnigeni coenobitarum osores. Instituta enim religiosa sunt tuta asyla pietatis, firma religionis propugnacula, feracissima virtutum seminaria, scientiarum hospitia, sanctitatis confugia ab iis heroicis viris fundata, qui fere omnes altarium honores promeruerunt. Ea itaque necesse est persecutionem pati ab illa prava, atque perversa incredulorum hominum progenie, qui cum ex patre diabolo sint, hujus patris suasu jugiter incitantur ad labefactandum quidquid ad gloriam Dei, et animarum salutem potissimum conducit. Ne ergo prudentiores filii tenebrarum quam filii lucis inveniantur operae pretium est ut qui spiritum veritatis sequuntur, qui crucis vexillum sectantur, qui christiani nominis splendorem diligunt, qui civilis societatis verum profectum cupiunt, contra vaferrimas sectariorum insidias atque sacrilega machinamenta coenobitarum patrocinium macto animo omnimode suscipiant, ne si ad assidua atque obstinata inimicorum tentamina conniveant, vel si, quod deterius est, subdolis coenobiorum bona inhiantium artibus, simulatoque sub ovina pelle latentium spoliatorum zelo incaute morem gerant, justissimam Sanctorum Fundatorum indignationem incurrant, quorum clamor vindictae cum ulciscendi cupiditate careat, sed justitiae vindicandae causa eliciatur facilem ad Supremi Judicis tribunal accessum inveniet. Magnum itaque piaculum est religiosos Ordines insectari; verum magno quoque discrimine non caret ad insectantium astus connivere.

S. Asaphi (di S. Asaph) Aug. Ep.

Fr. Joannes Low, alias Lovaeus (Lobbe) a teneris annis bonarum artium studiosissimus fuit. Patriam habuit Angliam in Comitatu Vigorniensi ortus, atque in Wichiensi coenobio Augustinianum habitum induit. Postea evasit Prior Londinensis, totius Angliae Provincialis, atque doctor Oxoniensis. Fuisse dicitur diligentissimus veterum exemplarium exquisitor, atque collector, idque facile comprobavit perinsignis bibliotheca, quam in nostro Londinensi coenobio sua industria atque studio instituit. Huic Augustiniano doctori litteraria respublica jure acceptum refert quod aliquot antiquorum Patrum scripta ad nos pervenerint, quae alioquin temporis injuria, hominumque incuria procul dubio prorsus periissent. Piissimus Anglorum Rex Henricus VI Joannem nostrum in suum consiliarium atque conscientiae moderatorem sibi assumpsit. An. 1433 die 17 Augusti inauguratur Episcopus S. Asaphi inter Elvium, et Clutam celebres fluvios, unde an. 1444, die 22 Aprilis Roffam (Rocester) translatus fuit. Rexit illam ecclesiam usque ad an. 1467, quo ex hac vita migravit. Illius mortales exuviae in cathedrali templo reconditae sunt. Consule Joannem Pitsaeum de scriptoribus Britan. edit. Parisiensis an. 1619 pag. 625, Franciscum Godwinum de Praesulibus Angliae edit. Cantabrig. 1743 pag. 535, Henricum Warton Angliae Sacrae edit. Londini 1691 pag. 380, Ossinger pag. 513, et Lanteri vol. 2 pag. 94, qui illius scripta proferunt.

Fr. Joannes Trevorus (Trevaur), Anglus, S. Theologiae professor, an. 1395, die 15 Octobris S. Asaphi episcopali cathedrae praefectus fuit. Ab Henrico IV Angliae Rege

an. 1399 ad Hispaniarum Regem legatus mittitur. Non desunt qui putant illum postea Cicestriam (Chicester) translatum fuisse. Gams tamen pag. 180 hanc translationem penitus silet, atque scribit Joannem Trevorum, cujus Augustinianam professionem ignorat, Episcopatum Asaphensem tenuisse usque ad obitum, qui contigit die 10 Aprilis, vel 8 Octobris an. 1410. De illo item verba faciunt Nicolaus Harpsfeldius in hist. Anglicana saec. 15 cap. 30 de Episcopis Cambriae, seu Walliae, Godwinus pag. 640, Herrera tom. 1 pag. 428, et Elssius pag. 404.

Eboraci (di York) Arch. Aug.

Fr. Robertus Waldebius (Waldby) Eboraci in Anglia ortus, vir fuit pietate, ac eruditione clarus, necnon apud Principes magna in existimatione habitus. Cum jam Eremitano Ordini nomen dedisset in Galliam transfretavit, ibique in philosophicis ac theologicis disciplinis tantum profecit, ut in Tolosana Universitate non tantum S. Theologiae doctor creatus, verum etiam professor publicus constitutus fuerit. Adeo linguarum peritia, atque sacra eloquentia excelluit, ut inter sui aevi litteratos primus, et concionatorum princeps haberetur. Anno 1387 inauguratus fuit Episcopus Adurensis (di Aire) in Gallia unde an. 1391 ad Archiepiscopatum Dublini in Hiberniam translatus fuit. Mansit Dublini usque ad an. 1395, quo hac sede relicta Cicestriae Episcopatum obtinuit. Tandem die 5 Octobris an. 1396 ad Eboracensem cathedram transivit. Postrema illius translatio nimirum ad tumulum habita fuit circa an. 1400. Thomas Colbius, Josephus Pamphilus, et Claudius Robertus scribunt illum obiisse an. 1399 ac fuisse in cathedrali Eboracensi tumulatum; alii vero putant illum e vivis excessisse Londini die 29 Maji an. 1397, ac fuisse

Westmonasterii in medio capellae S. Edmundi sepultum. Gams autem pag. 201 Roberti obitum assignat diei 6 Jan. 1398. Vide Godwinum pag. 688. Jo. Pitsaeum pag. 566, Thomam Tannerum in Bibl. Britannico-Hibernica edit. Londini an. 1748 pag. 746 sub Joanne Waldebio, Waraeum in Hibernia Sacra pag. 113, edit. Dublini an. 1717, Ossinger pag. 960, et Lanteri vol. I pag. 348, apud quos Roberti scripta recensentur.

Herefordiae (di Herford) Aug. Ep. Suff.

Fr. Joannes Smalte de Vigornia, Anglus, S. Theologiae Magister an. 1526 die 13 Julii ad relationem Card. Campegii instituitur Episcopus Badanensis (Buduensis) in provincia Constantinop. et Suffraganeus Episcopi Herefordiensis in Anglia. Vide Herreram tom. 1 pag. 439, et Elssium pag. 400.

Lincolnii (di Lincoln) Aug. Ep. Suff.

Fr. Guilelmus Egmundus, Anglus, de coenobio Stanfordiensi, dicitur a Pitsaco philosophus acutus, theologus profundus, concionator facundus, vehemens, et ad persuadendum dexter, qui studia pietatis et litterarum semper conjunxit, et pari in utraque palaestra gradu procedens ad summam utriusque perfectionem ascendit. Post completum in Angliae academiis studiorum curriculum S. Theologiae doctor inauguratur, et publicus professor constituitur. Multo tempore magno cum plausu, ingentique discipulorum profectu docendi munus exercuit. Postea Romam se contulit, ibique instante Henrico Card. Belfortio (Beaufort) Episcopo Lincolniensi eligitur Episcopus Pitaneusis in Asia minori et Suffraganeus Lincolniensis. Praefatus Belfortius Lincolniensem Episcopatum accepit die 14 Julii an. 1398.

Aliqui putant nostratem Egmundum deinde ad Dromorensem in Hiberniam cathedram translatum fuisse. Mentionem de illo faciunt Pitsaeus pag. 553, Mansi tom. 3 pag. 146, Gandolphus pag. 153, Ossinger pag. 311, et Lanteri vol. I. pag. 292, qui illius scripta recensent.

Lincolnii, (di Lincoln) Aug. Ep.

Fr. Thomas Radcliffus, Anglus, patria Leicestrensis, meritis doctrinae doctoralem, virtutum autem intuitu episcopalem infulam obtinuit. Pitsaeus pag. 504 illum ponit in catalogo Episcoporum Lincolniensium. Fuit theologus, philosophus, atque orator clarissimus, ob mentis acumen, ingenii praestantiam, atque ratiocinandi subtilitatem potissimum commendatus. Ortum habuit ex nobilissima progenie, ex qua Sussexiae Comites prodierunt. Florebat an. 1370. Vide etiam Tannerum pag. 613, Mansi tom. 6 pag. 259, Pamphilum fol. 60, Ossinger pag. 730, et Lanteri vol. I pag. 379, apud quos illius scriptorum notitiam reperies.

Norvici di Norwich) Aug. Ep. Suff.

Fr. Benedictus Icenus, Anglus, celebris sui aevi concionator et aliquot operum scriptor, vir fuit pius prudens facundus, omnique scientiarum genere nobiliter instructus, et cum primis suae aetatis theologis comparandus. Ob singularem in concionibus gratiam, et persuadendi vim apud Antonium de Beck Episcopum Norvicensem magno fuit in pretio, qui propterea illum Episcopum Cardicensem in Thessalia suumque coadjutorem institui curavit. Decessit Norvici circa an. 1340. Consule Pitsaeum pag. 440, Mansi lib. 2 pag. 206, Le Quien tom. 3 col. 979, Dict. Moreri tom. 2 pag. 363, et Ossinger pag. 462, qui illius scripta refert.

AUG. ANGLI EPISCOPI IGNOTI TITULI

Fr. Robertus Worsop, alias Wersop in Comitatu Eboracensi in Augustiniano pagi Ticulliensis coenobio monasticum institutum suscepit. Vir praestantis ingenii sacris profanisque litteris egregie doctus magistralem S. Theologiae lauream obtinuit. Qui, verba sunt Pitsaei pag. 478, quoniam cum eruditione vitae sanctimoniam semper conjunxit, tandem in Episcopum electus fuit. Quo in munere verbum Dei suis subditis praedicando, populum docendo, clerum reformando magna cum laude versatus est. Ticulliae obiit in suo coenobio anno 1350 sub Angliae Rege Eduardo III. Vide etiam Herreram tom. 2 pag. 337, Gandolphum pag. 312, Mansi tom. 5 pag. 111, et Lanteri vol. I pag. 173, apud quem Roberti scripta recensentur.

Fr. Thomas Edwarstonus, Anglus, in Clarensi coenobio Comitatus Suffolcensis Augustinianam tunicam induit, ibique postea prioratum gessit. Fuit S. Theologiae doctor Oxoniensis, et vir singularis doctrinae et pietatis, ac praecipue ob raram pergami eloquentiam summa in laude habitus. Leonelli Clarentiae Ducis existimationem atque benevolentiam sibi conciliavit, cujus etiam confessarium egit, ejusque favore archiepiscopalem quamdam titularem infulam obtinuit. Obiit in suo Clarensi coenobio die 20 Maji an. 1396. Vide Pitsaeum pag. 561, Tannerum pag. 252, Mansi tom. 6 pag. 251, Herreram tom. 2 pag. 452, Lanteri vol. I pag. 379, et Ossinger pag. 310.

HIBERNIA

Hiberniae Augustiniana Provincia olim pars fuit Provinciae Angliae, neque peculiarem Priorem Provincialem habuit, nisi post haereseos in Anglia depopulationem. Quam-

vis enim tunc Hiberni coenobitae haereticorum furorem multimodis sustinere coacti fuerint, atque cum coenobiorum tum bonorum omnium jacturam pertulerint, non tamen eam animi fortitudinem fideique constantiam amiserunt, quae D. Patritii discipulorum propria est, et omnibus nota. Quare inter varias ac repetitas persecutiones modo palam modo clam, prout tempus exigebat, vitam degentes, et etiam huc et illuc in alienas terras transmigrantes, atque ostracismum, proscriptiones, carceres, exilium, tormenta ipsamque necem pro fide catholica, ac monasticis legibus nihil timentes ad haec usque tempora pervenerunt, quibus si nondum antiquam libertatem recuperarunt, tamen eam adepti sunt securitatem et pacem, quam aliarum fere omnium nationum religiosi sibi ademptam esse percipiunt, adeo ut mirari quisque debeat hac ipsa nostra aetate multo minus monasticis institutis Magnae Britanniae Imperium adversari, quam quaedam alia Regna quae per summum mendacium dicuntur catholica, cum e contra omnem penitus religionem ipsorum ministri saltem actu ejuraverint, perinde ac si possent populi absque religione in officio contineri, et instar brutorum gregis baculi timore gubernari. O praeclaram *liberalium* politicorum sapientiam! Habet nunc Hiberniae Augustiniana Provincia quatuordecim conventus e quibus Londinensem recens a fundamentis erexit P. Mag. Provincialis Fr. Martinus Crane nunc Sandhurstensis in Australia Episcopus.

Ardachiae (di Ardagh) Aug. Ep.

Fr. Petrus Mulligan, Hibernus, S. Theologiae Magister dicitur fuisse vir valde doctus. An. 1725 erat Provincialis, uti constat ex Regesto V Generalis Cervioni ad diem 10 Augusti praefati an. 1725, pag. 94. Inauguratur Episcopus Ardachadensis in Hibernia an. 1732, uti videre

licet in Reg. VI Gen. Bellelli pag. 59 sub die 21 Feb. 1733. Ex Reg. PP. Dominicanorum S. Clementis constat illum in Episcopum electum fnisse die 9 Maji praedicti an. 1732, et obiisse octogenarium circa initium an. 1739.

Clogeriae (di Clogher) Aug. Ep.

Fr. Neemias Clonym, Hibernus, an. 1502 die 24 Januarii ab Alexandro VI inauguratur Episcopus Clogherensis in Hibernia. Verum anno insequenti die 29 Augusti ad instantiam Patritii O' Conally reservata sibi annua pensione decem et octo tantum scutatorum Episcopatum resignavit. Quoniam Waraeus in Hiberniae Sacrae pag. 49, et Gams illius vestigia sequens pag. 211 ancipites haerent utrum Neemias noster fuerit Augustinianus, vel potius Benedictinus hic animadvertendum puto nostratem Rm̃um P. Generalem Gratianum de Fulginio die 9 Feb. an. 1502 indulsisse Episcopo Neemiae ut haberet vocem in capitulo pro electione Vicarii provincialis, et in suo coenobio pro electione P. Prioris, necnon ut esset Praeses in praefato capitulo celebrando. Vide etiam Herreram tom. 2 pag. 187, Elssium pag. 499, et Torellium tom. 7 ad an. 1502 n. 15. Eliminatur itaque omnis dubitatio de August. nostratis Neemiae professione.

Fr. Patritius Cullen, Hibernus, vir divinis humanisque litteris egregie instructus, per magnam vitae sanctimoniam, et singularem doctrinam multam sibi in tota Hibernia famam comparavit. An. 1515 die 27 Nov. ad Clogherensem Episcopatum praesentatur, quem an. insequenti a Leone X accepit. Eodem anno interfuit Concilio Lateranensi V. Una cum Archidiacono Roderico Cassidaeo composuit catalogum Episcoporum Clogherensium atque hymnum de S. Maccartino Ep. qui incipit: Festum dignum

celebrantes etc. Videtur vixisse usque ad an. 1534. Vide Waraeum, edit. Dubl. 1717 pag. 50, Ossinger pag. 282, Lanteri vol. 2 pag. 187, et Gams. pag. 211.

Cluani (di Cloyne) Aug. Ep.

Fr. Geraldus Canton, Hibernus, S. Theol. Lector an. 1392 erat Hiberniae Vicarius generalis. Ob quasdam controversias cum P. Provinciali Angliae, cui tunc Hiberniae coenobia subjecta erant, Romam venit, ubi a Gen. Bartholomaeo Veneto die 11 Maji 1392 Procuratoris gen. socius designatur. Comperta illius doctrina, ac probitate Bonifacius IX die 16 Martii an. 1394 illum ad Cloynensem episcopalem cathedram promovit. Sedit usque ad an. 1411, quo ad meliorem vitam transivit. Mentionem de illo faciunt Jacobus Waraeus pag. 218, Herrera pag. 295. Elssius pag. 244, et Gams pag. 213.

Fr. Adam Payim, Hibernus, in Ordinis regestis ad an. 1392 dicitur Lector Oxoniensis, et die 26 Augusti an. 1414 inauguratur Episcopus Cloynensis. Rexit illam Ecclesiam usque ad an. 1430, quo ex hac vita migrasse videtur. Vide Herreram tom. I pag. 39, Elssium pag. 10, et Waraeum pag. 218, ubi siletur illius Aug. professio.

Dromorae (di Dromore) Aug. Ep.

Fr. Guilelmus Egremundus, (Egromont) Hibernus, ab alio nostrate Guilelmo Egmundo Anglo Episcopo Suffraganeo Lincolniensi omnino diversus, anno 1462, et 1464 erat Episcopus Dromorensis in Hibernia, et Guilelmi Archiepiscopi Eboracensis Suffraganeus, uti refert tom I pag. 298 Thomas Herrera, qui regesta pontificia inspexit. Nominatur etiam a Gams pag. 217, ubi tamen illius Au-

gustiniana professio reticetur. Videtur vixisse usque ad an. 1488.

Elfinii (di Elphin) Aug. Ep.

Fr. Bernardus Ohygnus, alias Haguin, Hibernus, claruit eximia virtute, atque insigni Religionis zelo. Anno 1542 die 10 Aprilis a Gen. Seripando constituitur Vicarius generalis eorum nostratum, quos in Hibernia Henrici VIII persecutio reliquos fecerat. Eodem an. die 5 Maji a Paulo III inauguratur Episcopus Elphinensis, et die 7 Septembris jam Episcopus a praefato Seripando confirmatur in Vicarii officio per sex menses, ut comitiis provincialibus coactis aliquis Praesul eligeretur, qui labentem Provinciam ad septem tantum coenobia redactam consolidaret atque erigeret. Verum eadem persecutione saeviente ex Hibernia exulare coactus in Lusitaniam trajecit, atque ibidem a nostratibus Villaeviciosae coenobitis perquam benignissime excipitur. In eo coenobio praeclarissimus exul talem in omnibus se ostendit, qualis revera erat, singulari nimirum sanctimoniae laude exornatum. Inter pietatis opera vixit in illo coenobio multos annos, ibique valde senex hanc mortalem vitam finivit an. 1563. Vide Herreram tom. I pag. 108, Elssium pag. 126, Torellium tom. 8 ad an. 1542 n. 18, et Lanteri vol. 2 pag. 247. Pius Gams pag. 220 errato illum Ordini Praedicatorum attribuit, qui procul dubio Episcoporum copia longe locupletissimus aliena gloria non indiget.

Emeliae (di Emly) Ep. Aug.

Fr. Joannes Riskberry, per obitum Nicolai a Martino V an. 1422 renuntiatus fuit Episcopus Emeliae in Provincia Casheliensi. Verum cum intra annum expeditionem Bullarum Apostolicarum non procurasset, idem Pontifex

Episcopatum ejus tradidit alteri, nempe Fr. Roberto Windell Franciscano. Vide Herreram tom. 1 pag. 430, et Gams pag. 209, qui cum discrepent circa annum quo Nicolaus obierit, non conveniant necesse est circa tempus electionis nostratis Joannis. Herrera illam statuit ad an. I Pontificatus Martini V sub die 21 Aprilis, eique Robertum suffectum putat die 14 Decembris an. 1421. Gams autem usque ad an. 1422 Nicolai Episcopatum producit, quo in casu posterior foret nostratis Joannis promotio. Verum videtur praeferendus Herrera, qui Vaticana regesta inspexit.

Fernae (di Fernes) Aug. Ep.

Fr. Galfridus Grandfeldus, alias de Grosseld, Anglus, patria Northamptoniensis S. thologiae Doctor Cantabrigensis, vir omni virtutum genere ornatus, et omnibus melioribus scientiis instructus, magni tum philosophi, tum theologi nomen acquisivit. Potissimum autem eloquentia pergami praevalebat. Romam cum venisset, Card. Annibaldi Tusculani Episcopi sacellanum egit. An. 1347 die 5 Martii a Clemente VI Avenione Fernensis Episcopus inauguratus fuit, et die 26 ejusdem mensis anno insequenti episcopalem consecrationem accepit. Parum temporis praefuit; nam an. 1349 die 22 Octobris ad meliorem vitam transivit. Nominatur ab Herrera tom. 1 pag. 294, a Pitsaeo pag. 444, Tannero pag. 338, Ludovico Morero tom. 5 pag. 333, Lanteri vol. I pag. 103, et Ossinger pag. 410, apud quos scriptorum ejus catalogum invenies.

Finniborae (di Killfenora) Aug. Ep.

Fr. Jacobus O' Daly, Hibernus, studiis vacavit Lutetiae Parisiorum, fuitque in regio Galliarum exercitu sacellanus, quod officium deinde exercuit etiam apud Re-

ginam viduam Ludovici Regis Hispaniae. Promotus fuit ad Episcopatum Finaborensem die 7 Augusti 1732, et quia propter persecutionem in sua dioecesi residere nequibat, idcirco paullo post Tornaci canonicatum obtinuit. Ibidem decessisse videtur anno 1750, aetatis suae circiter 70. Ex arch. S. Clementis, et Gams pag. 225.

Kildariae (di Kildare) Aug. Ep.

Fr. Robertus de Aketon, Hibernus, an. 1365 die 18 Nov. a Monachis illius ecclesiae eligitur Episcopus Dunensis; (di Down) verum Urbanus V hanc electionem non approbavit. Anno autem insequenti idem Pontifex Kildariensi cathedrae die 2 Maji illum praefecit. Adhuc praeerat anno 1367, sed non constat quo anno ex hac vita decesserit. Vide Herreram tom. 2 pag. 338, Elssium pag. 604, Torellium tom. 6 ad an. 1366, n. 10, et Waraeum pag. 126.

Fr. Marcus Forstal, Hibernus, absoluto in Collegio S. Gabrielis Vallisoletano apud nostrates Hispanos anno 1648 theologico cursu, Provinciae Austriae aggregatus fuit, et 1653 studiorum Regens Graecii constitutus. Anno 1655 in Viennensi Universitate doctoralibus infulis decoratus in Moraviam ad Zabrdovicense coenobium Ord. Praemonstratensis ibidem S. Theologiam professurus se contulit. Viennam postea reversus, in comitiis provincialibus an. 1659 in eadem urbe coactis illius provinciae regimen obtinuit. In Hiberniam rediit an. 1672, et 1677 ad Episcopatum Kildariensem evectus fuit. Obiit Dublini dum pro fide catholica detinebatur in carcere an. 1683. Ex nostrate Martino Rosnach de monasteriis Aug. Provinciae Austriae pag. 26, ex Gams pag. 227, et Ossinger pag. 363.

Fr. Jacobus Doyle ortus est ex conspicuis parentibus Novae Rossae (New-Ross) in Hibernia an. 1786, atque ubi ad adolescentiam pervenit apud nostrates in coenobio Grantstown eremitanum habitum induit. Postea studiorum causa Conimbriam in Lusitaniam profectus fuit, atque ibidem nedum egregium in scholis alumnum, verum etiam strenuum in bello militem contra neapoleonicas copias se ostendit; non dubitavit enim ardens ingenio juvenis justitiae atque aequitatis amator pro tuendis Lusitanorum juribus adversus gallicam incursionem arma sumere; quamobrem a victoribus captus in custodiam traditus fuit. Post tres annos quam in Lusitaniam appulerat, illinc exulare coactus in Hiberniam remeavit, ibique in Augustiniano Novae Rossae gymnasio quinque annis S. Theologiam tradidit, ac postea se contulit Carlow, ubi docuit amoenas litteras, mathematicam, philosophiam, theologiam, et S. Scripturam. Anno 1819, die 27 Augusti a Pio VII inauguratus fuit Episcopus Kildariensis, et Leighlinensis, cum 33 suae aetatis annos haberet. Exinde totum se Religionis atque patriae defensioni mancipavit, in quo sane glorioso certamine ita naviter se gessit ut nedum Hibernis, verum etiam totius Orbis catholicis plurimum profuisse, ac ipsis quoque Danielis O' Connell triumphis viam stravisse jure credatur. Sed meritissimi Augustiniani Antistitis praeconia a nostrate alio Episcopo Josepho Palermo in oratione funebri habita an. 1835 audiamus: Doyle is est, qui suum tantum existimavit visitare languentes, nosse domos viduarum ac pupillorum, oculos servare castos, et linguam, quique in specula positus ad speculandum in Israel, venientes ad devorandum lupos arcuit, oves duxit ad pascua salubria, sancta ab immunda violatione defendit. Evangelicae praedicationis obibat munus? Eo spiritus ardore, ea sententiarum gravitate id praestabat, ut non solum rudes, sed doctissimi quique ac piissimi ad audiendum confluerent, qui cum lo-

quentem avidis auribus exciperent, veluti Paracliti ignitam linguam arcana mysteria reserantem proclamabant. Cum haereticis congrediebatur? Tanta subtilitate, tanto argumentorum pondere, tanta facundia eos premebat, urgebat, ut obmutescerent penitus, ac rubore perfusi domi diu delitescerent. Pro Ecclesia Dei fortiter dimicans Londinum bis petiit, ibique coram Procerum Senatu, cui praeerant• Liverpool, ac Welington Romanae tunc Communionis hostes infensissimi, catholicorum jura vindicavit, pauperum suorum substentationem postulavit, jurgiis, falsis dicteriis, calumniis satisfecit plenissime. Nostri praesulis fortitudinem, prudentiam, doctrinam testantur scripta auro cedroque digna ab ipso in lucem edita, quibus non mercenarium sed bonum pastorem se exhibuit, opera ac sermone potentem; testantur Episcoporum epistolae, qui ei certatim de partis triumphis gratulabantur; fama testatur, quae in ore omnium sonat, quaeque eum defensorem fidelium appellat, famosorum palmam certaminum, Hibernorum libertatis propugnaculum, ac tutamen, testatur denique, superaddi potest, elegans marmorea statua postea illi in civitate Carlow a suis admiratoribus erecta . . . . Immatura morte hoc tam splendidum Hiberniae sidus, atque praeclarissimum Episcoporum exemplar de hoc mundo sublatum fuit die 15 Junii an. 1834, aetatis suae 48. Ex illius vita anglice conscripta, ex annuario romano, atque ex vol. 3 Lanteri pag. 263, ubi eximii Praesulis scripta recensentur.

Kilkenniae (di Ossory) Aug. Ep.

Fr. Joannes de Tatenhale, Hibernus, alias Oxoniensis nuncupatus, initio anni 1362 consecratur Episcopus Kilkenniae, alias Ossoriensis in Hibernia. Decessit an. 1370. De illo verba faciunt Herrera tom. 1 pag. 426, et Elssius 368. Waraeus pag. 144 dubitat utrum fuerit Augustinianus vel

Dominicanus; verum in catalogo Episcoporum inclyti Praedicatorum Ordinis, qui innumera Praelatorum multitudine nobilitatus aliena gloria profecto non indiget illius nomen non reperitur. Vide Theatrum Dom. P. Vincentii Fontana tit. 440, pag. 252.

• Fr. Joannes Volcan, Hibernus, juxta Herreram qui Vaticani regesta inspexit, per privationem Joannis an. 1398 eligitur Episcopus Ossoriensis, et an. 1399 transfertur Dromoriam, quam sedem tenuit usque ad an. 1404, quo Gams pag. 217 putat illum Ossorim translatum, cum e contra Ossoriensem cum Dromoriensi cathedram commutarit. In Ossoriensi Episcopatu successorem habuit Rogerium, quem Waraeus pag. 146 ponit inter illius antecessores. Ab eodem Waraeo dicitur *Praesul ob animi dotes non ultimi subsellii*. Ex hac vita migravit die 29 Septembris an. 1405. Ex relatione mihi transmissa a P. Michaele Costello Dom. Vide etiam Herreram tom. 1 pag. 428, et Torellium tom. 6 pag. 344, n. 3 ad an. 1398.

Killaleae (di Killala) Aug. Ep.

Fr. Geraldus Martyn, Angliae Provincialis, S. Theologiae Baccalaureus et Pontificius Poenitentiarius, die 26 Septembris an. 1425 eligitur Episcopus Killaleae, alias Alladae in Hibernia. Juxta Herreram pag. 239 ex hac vita migravit Geraldus an. 1430. In Reg. Gen. Augustini de Roma ad an. 1425 fol. 178, quod ipsemet inspexi, conceditur *Geraldo Martyn nostri Ordinis Episcopo Alladensi ut possit tenere capellanum nostri Ordinis* etc. . . . . *et ad ejusdem instantiam fecimus fr. Thomam Martyn studentem per triennium in nostro conventu, et studio Oxoniarum de nostra gratia speciali*. Vide etiam Elssium pag. 193.

Lismoriae, et Waterfordiae (di Lismore, e Waterford) Aug. Ep.

Fr. Patritius Quemerfort, alias Ab Angelis cognominatus, nobilis Hibernus, Waterfordiae honestis catholicisque parentibus natus, ex parte patris ex familia Quemerfordorum, et Wascheorum, ex parte vero matris ex progenie Whiteorum, et Butleorum affinitate S. Thomam Cantuariensem attingentium, vir fuit magnae et insignis staturae, eloquens, ac suavis, qui amoenas litteras didicit Burdigalae in Gallia, et philosophiam Ulyssipone in Lusitania, ubi Augustiniano Ordini nomen dedit. Conimbriae S. Theologiae operam navavit, ac postea in Tertiarias insulas missus fuit eloquentiae publicam cathedram moderaturus. Fuit etiam poeta atque orator praecellens, necnon S. Theologiae doctor Florentinus. In Lusitania P. Provincialis secretarium egit, atque pro insulis Tertiariis consiliarium. An. 1618 Bruxellis in Belgio nostrates alumnos philosophiam docebat. Romae postea fuit suae Provinciae definitor, et procurator. A Paulo V pro fide propaganda missionarius et coenobii Kellensis Prior perpetuus in Hiberniam remittitur. Tandem ab Urbano VIII. an. 1629, die 12 Feb. creatur Episcopus Lismoriensis, et Waterfordiensis in Provincia Casheliensi, et per manus Card. Bentivoglio eodem anno, die 18 Martii Romae in ecclesia S. Sylvestri ad montem Quirinalem cônsecrationem accepit. Interfuit an. 1648 celebri synodo Waterfordiensi, cui praefuit Nuncius Apostolicus Jo. Baptista Rinuccini et in qua damnatae fuerunt *conditiones pacis* ab Ormondo Anglo duce tempore belli civilis propositae, quippe quae injustae videbantur atque perniciosae cum Religioni, tum patriae Hibernorum. Cum autem impavidus Praesul, qui propter justitiam et veritatem non pertimescebat faciem potentium, praefatae synodi sententiam contra illius tem-

poris *conciliatores* invicta constantia sustineret, in Galliam post Caroli I decollationem an. 1649 exulare coactus fuit, ibique ad suae fortitudinis praemium a Deo accipiendum transivit an. 1652. Vide Herreram tom. 2 pag. 271 , et Elssium pag. 546.

HIBERNI AUG. EP. EXTRA HIBERNIAM

Armidalis (di Armidale) Aug. Ep. electus

Fr. Jacobus Hays, Hibernus, S. Theologiae Mag. quatuordecim annos nostratem Melbournensem Antistitem Fr. Jacobum Alipium Goold in sacro ministerio adjuvit, atque in tota Victoriae provincia insignis concionatoris nomen sibi comparavit. An. 1867 a Summo Pontif. Pio IX per literas S. Congregationis de Propaganda Fide designatus fuit Episcopus noviter erectae dioecesis Armidalensis in Australia; verum quia propter quasdam difficultates quas procul dubio vir missionariorum laboribus assuetus flocci facere debuisset, Episcopatum admittere haesitavit, in ejus locum suffectus est alter. Eodem anno Romam venit cum praefato DD. Jacobo Alipio Goold, et postea in Hiberniam ad suos invisendos rediit. Paullo post in gravem morbum incidit, qui de hac mortali vita Dublini illum sustulit die 6 Junii an. 1868, aetatis suae 55. Vide Reg. I Gen. Belluomini pag. 218.

Hartfordiae (di Hartford) Aug. Ep.

Fr. Thomas Galberry primam lucem aspexit in urbe Hiberniae cui nomen Naas an. 1833, et adhuc infantulus an. 1836 Philadelphiam in Pensylvaniam perductus fuit. Studiorum causa an. 1847 ad Augustinianum D. Thomae a Villanova collegium in eadem provincia situm se contu-

lit, ibique Eremitarum cucullum induit die 1 Jan. an. 1850. Sacerdotio initiatur in ecclesia D. Augustini Philadelphiae die 20 Decemb. 1856, ex quo tempore solertem vineae Domini cultorem, atque operarium zelo Dei plenum jugiter se ostendit. Concionandi munere assumpto omnis sermo et praedicatio ejus non quidem fuit in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis; est enim vir ad apostolatum et ad animarum conversionem natus, quo in officio ideo magis praestat quia vir est optimis atque integerrimis moribus ornatus. An. 1866 die 30 Nov. a Gen. Belluomini Pensylvaniae Commissarius constitutus multimodis Ordini profuit; nam praeter ecclesiam atque coenobium S. Augustini Lansingburgi a fundamentis erecta alias item alibi ecclesias vel extruxit aut ampliavit, missiones varias acquisivit, scholas parochiales aperuit, atque praefatum Villanovanum collegium novis aedificiis erectis adauxit. Cum omnium coenobitarum amorem sibi conciliasset in primo Pensylvaniae provinciali Capitulo in Villanovano coenobio die 20 Decembris 1874 electus fuit Prior Provincialis, cumque praeterea Episcoporum Statuum Unitorum benevolentiam atque existimationem sibi comparasset ad illorum instantiam inauguratus fuit Episcopus Hartfordiensis in statu Connecticutt, ejusque electio promulgata fuit in Consistorio Romae habito die 15 Martii 1875. Verum die 6 Maji de sub aquis oceani Altantici nomine illius ad P. Generalem Belluomini hoc telegramma pervenit « Renuntiavi Episcopatum » cui vicissim P. Generalis per fluidum electricum respondit « Renuntiatio displicet. Hactenus videtur Summus Pontifex admittere nolle hanc renuntiationem. Ex relatione P. Mag. Thomae Middleton Prioris Villanovae.

Melbourni (di Melbourne) Aug. Arch.

Fr. Jacobus Alipius Goold ortum habuit Corgagiae in Hibernia ex honestis catholicisque parentibus Jacobo, et Maria Hynes an. 1812. Sexdecim annos natus in coenobio Grantstown Augustinianae Familiae nomen dedit, ac postea in Italiam missus fuit, ubi Perusiae, Viterbii, ac Romae studiis vacavit. An. 1835 Perusiae ab Ep. Carolo Cittadini Sacerdotio initiatur, ac paullo post an. scilicet 1837 cum DD. Joanne Polding Arch. Sydneyensi in Australiam navigavit. Ibidem postquam decem annis in vinea Domini strenue laborasset, an. 1847 die 9 Julii a Summo Pont. Pio IX primus Melbourni in provincia Victoriae Episcopus renuntiatus, a praefato Archiepiscopo die 6 Augusti 1848 episcopalem consecrationem accepit. Quae tribus ante saeculis in Goana Indiarum Orientalium provincia peregit noster celeber Arch. Alexius Menezes, qui inter caetera ipsius benefacta etiam 40 ecclesias in illa regione extruxit, eadem ferme noster Goold in Australia fecisse jure putandus est. Ipse enim diuturno 28 annorum sui Episcopatus tempore illius Victorianae provinciae faciem penitus renovavit. Quando accepit Episcopatum vix tres erant in tota provincia catholicorum ecclesiae; nunc enumerantur plusquam quinquaginta, quibus addi debent 20 circiter oratoria, et 120 circiter scholae, quae data occasione pro sacellis inserviunt. Deerant omnino pro Sacerdotibus domus; nunc autem habentur plusquam triginta. Item zeli atque industriae nostratis Goold opera sunt Melbournense Jesuitarum Collegium, quinque illius florentissimae civitatis templa, tria monialium monasteria puellarum institutioni addictarum, duo pro utriusque sexus orphanis hospitia, in quibus 800 circiter ex eis aluntur atque educantur, et alia permulta pia instituta, quae nimis longum est singulatim recensere. Vir fluctuum saevi maris con-

temptor quinque vicibus ex Australia Romam venit, ubi inter caetera cum celebrationi centenariae festivitatis SS. Ap. Petri, et Pauli, tum fere omnibus Concilii Vaticani sessionibus interfuit. An. 1869 designatus fuit Apost. visitator, et administrator Novae Zelandiae, quod munus cum S. Sedis approbatione explevit. An. 1874 Romae cum moraretur, die 30 Martii illius ecclesia ad Archiepiscopatum evecta, ipse quoque Archiepiscopi titulum, atque dignitatem obtinuit, quam illi Dominus etiam in hac vita servet ad multos annos. Vide annuaria pontificia, Gams pag. 459. et libellum lingua anglica exaratum de Aug. Hiberniae edit. 1858.

Saldis (di Salda) Aug. Ep.

Fr. Daniel O'Connor primam lucem aspexit Limerici die 6 Julii an. 1786. Augustinianum habitum induit in coenobio Galviensi an. 1807, et 1810 ad sacrum Presbyteratus Ordinem promotus fuit. Studiorum curriculo in coenobio Novae Roffae confecto Corgagiam contendit, ibique multos annos pro vindicandis catholicorum juribus strenue laboravit. Potissimum Ordinum religiosorum patrocinium contra iniquas Anglici gubernii leges invicta constantia suscepit. An. 1834 die 21 Aprilis a Gregorio XVI eligitur Episcopus Salditanus in Africa, et administrator Ecclesiae Mandraspatanensis (di Madras) in Orientalibus Indiis, et die 3 Augusti ejusdem anni in Augustiniano Corcagiensi templo episcopalem consecrationem accepit. Pervenit in Indiam simul cum aliquibus Sacerdotibus in socios sibi adscitis die 20 Augusti 1835, statimque suum apostolicum zelum magna alacritate exercere coepit, et quamvis penuria Sacerdotum laboraret, tamen vires suas multiplicans ipse unus multorum partes explebat. Exorto an. 1838 (Moroni vol. 31 pag. 252) propter abusum *juris patronatus* ex parte gubernii Lusitani schismate Goano ita egre-

gie Daniel noster Apostolicae Sedis jura defendit, tantaque industria pro schismate eliminando adlaboravit ut a Summo Pontifice Gregorio XVI nedum approbationem, verum etiam plausum, laudemque reportarit. An. 1840 graviter aegrotare coepit; quare ex medicorum consilio illinc discedere coactus, cum incredibili illorum catholicorum moerore in Europam rediturus itineri se commisit, Romamque divertit, ibique Mandraspatanensis Vicariatus Apostolici nomen, atque onus dimisit mense Junio an. 1841. A Praefato Gregorio XVI inter Episcopos Pont. Solio Assistentes die 25 Feb. 1842 adnumeratus fuit. Eodem an. die 16 Augusti in suam Hiberniam reversionem fecit, atque inter nostrates Dublinenses se recepit, ibique instar simplicis Sacerdotis cum fidelium confessiones jugiter excipiendo, tum verbum Dei assidue praedicando in vinea Domini cum ingenti animarum lucro operari non destitit usque ad obitum qui contigit Dublini die 10 Julii an. 1867. Dicitur 553 Protestantes ad catholicam fidem convertisse, atque 800 matrimonia ex illegitimis rata ac valida reddidisse. Nominatur in annuariis pontificiis, a Gams pag. 119, et a Moronio vol. 60 pag. 245, qui silet omnino illius Augustinianam professionem, quod magis admiratione dignum videtur, si animadvertatur eumdem Moronium vol. 34 pag. 233, et seq. verba fecisse *ex professo* de Vicariatu Apostolico Mandraspatani, deque immediato nostratis Danielis O' Connor antecessore, atque illius successoribus, illius vero nomen penitus praetermisisse. Vide etiam praefatum libellum de Augustinianis Hiberniae editum an. 1858.

Sandhurstii (di Sandhurst) Aug. Ep.

Fr. Martinus Crane ortus est in oppido Bannow dioecesis Fernensis in Hibernia die 1 Octobris an. 1818. In Aug. Grantstown coenobio solemnia vota nuncupavit die 18 Octo-

bris an. 1837. Deinde in Italiam venit, ubi studiis apud Ordinem vacavit primum Aquilae in Aprutio, et postea Perusiae in Umbria, in qua civitate sacrum Presbyteratus Ordinem recepit die 12 Aprilis an. 1841. Prior fuit Romae ad S. Mariae in Posterula an. 1850, quod munus duabus vicibus deinde Dublini in sua Hibernia obtinuit, nempe an. 1859, et 1871. Totam Hiberniae provinciam cum magno ejusdem emolumento rexit ab an. 1863 usque ad 1871 , quo temporis intervallo cum spiritualem tum temporalem illorum coenobiorum profectum sedulo promovit. Londinensis Augustiniani coenobii, atque Dublinensis item nostratis ecclesiae aedificatio nostri Martini curae , atque industriae praesertim debetur. Vir morum innocentia, atque evangelicae praedicationis zelo numquam satis laudandus dum in Statibus Unitis Americae pro colligendis fidelium oblationibus ad praefatae Dublinensis ecclesiae complementum provehendum moraretur a Pio IX ad istantiam nostratis Archiepiscopi Melbournensis noviter erectae Sandhurstensis dioecesis cathedram in Australia promotus fuit, atque ex America statim reversus Dublini in eadem ecclesia die 21 Sept. an. 1874 ab Arch. Card. Paulo Cullen assistentibus DD. Thoma Furlong Ep. Fernensi, et Patritio Moram Ep. Ossoriensi episcopalem consecrationem accepit. Illius electio promulgata fuit in consistorio habito die 21 Decembris, duobus nimirum mensibus post consecrationem. Dominus protrahat dies Episcopatus ejus ad multos annos.

Savanai (di Savannah) Aug. Ep. electus

Fr. Joannes O' Dwyer, Hibernus, in oppido Cappahayden prope Callaniam an. 1816 ortum habuit, atque an. 1836 in Augustiniano coenobio Grantstown solemnem professionem emisit. Studiorum cursum Perusiae in Umbria complevit, ac postea Philadelphiam in Americam profectus

fuit. In eadem urbe Augustinianae Ecclesiae aedificationem summopere promovit, cumque luculenta quotidie probitatis, atque doctrinae argumenta praeberet ex illorum Praesulum commendatione a Summo Pont. Pio IX ad Episcopatum Savanensem in provincia Georgiae promotus fuit. Verum cum apostolicae litterae illuc pervenerunt, ipse graviter aegrotabat, atque ante consecrationem ex hac vita migravit an. 1850, aetatis suae 34.

AUG. EPISCOPI IN SCOTIA

Dunkeldini (di Dunkeld) Aug. Ep.

Fr. Nicolaus Duffeld, Scotus, S. Theol. Lector, de quo fit sermo in Ord. Regest sub Gen. Bartholomaeo Veneto ad an. 1390 et diem 16 Martii a Bonifacio IX die 22 Aprilis ejusdem anni 1390 per obitum Roberti inauguratur Episcopus Dunkeldini (di Dunkeld) in Scotia. Ignotus omnino Pio Gams. Vide Herreram tom. 2 pag. 184, Elssium pag. 514, et Torellium tom. 6, pag. 282.

Sodorae (di Sodor) Aug. Ep.

Fr. Herphardus, Anglus, die 21 Feb. an. 1530 eligitur Episcopus insulae Sodorae vulgo Sodor, alias Colmkil in Scotia. Herrera qui in Regestis Vaticanis legit hunc Herphardum praefectum fuisse Ecclesiae Sodorensi, ignorans ubinam esset sita hujusmodi nominis Ecclesia, autumavit tom. I, pag. 343 Herphardum potius quam Sodorensem dicendum esse Episcopum Ossoriensem in Hibernia. In eumdem errorem lapsus est Elssius pag. 184, et Torellius vol. 8 pag. 162. De Sodorensi Episcopatu legendus Moroni vol. 67 pag. 149.

GALLIA

Ante numquam satis doplorandam demagogici furoris explosionem (1789) Augustiniana Ordinis Eremitani Familia quatuor florentissimas provincias cum coenobiis circiter centum in Galliarum Regno possidebat, quae omnia insatiabilis demagogorum esuries illa tempestate absumpsit. Anno 1870 Revm̃us P. Mag. Generalis Fr. Joannes Belluomini Lutetiam Parisiorum misit PP. Mag. FF. Nicolaum Cretoni, Josephum Gigante, et Petrum Belgrano ut parvam Presbyterorum nostrae Dominae de Sion Congregationem a Rev. D. Theodoro Ratisbone fundatam Ordini Eremitano aggregarent; verum paullo post exortum bellum Gallo-Borussicum spem omnem hujus unionis ademit. Quare nondum venisse videtur tempus Eremitanae Religionis in Galliarum Regno instaurandae. Gallicanis Provinciis addimus hic etiam Belgicam, quae olim 35 coenobia enumerabat, e quibus nunc remanet tantummodo coenobium Gandavense cum aliquot Hollandiae *stationibus*.

AUGUSTINIANI EPISCOPI IN GALLIA.

Fr. Robertus Waldby Ep. Adurae (di Aire) Vide pag. 6.

Fr. Arnaldus de Arceto, Gallo-Tolosanus, ad instantiam Episcopi Adurensis a Leone X die 20 Aprilis an. 1517 inauguratur Episcopus Cyreniae (di Ceraunia) in Cypro, et Suffraganeus Adurensis. V. Her. tom. 1 pag. 45, et le Quien tom. 3 col. 1232.

Agathae (di Agde) Aug. Ep.

Fr. Simon anno 1393 erat Episcopus Agathensis in Gallia. Ignotus Sammarthanis eo quia tempore schismatis

non ita exacta habetur Galliarum Episcoporum series. Nominatur noster Simon ab Herrera tom. 2 pag. 389, et a Torellio vol. 6 pag. 318. Nec refert tunc temporis illam sedem alium habuisse Episcopum, nam haud infrequens est tempore schismatis pontificalis plures in eadem sede reperiri Episcopos. Putat Torellius nostratem Simonem electum fuisse a Bonifacio IX.

Andegavi (di Angers) Aug. Ep. Suff.

Fr. Joannes Rovault, Gallus, theologus insignis, an. 1522 juxta nostratem Pamphilum erat Episcopus Roranensis in Armenia, et Suffraganeus Praesulis Andegavensis. Vide Herreram tom. 1 pag. 438, et Torellium tom. 8 pag. 8.

Fr. Raymundus de Acono Ep. Apamiae (di Pamiers) Vide part. I pag. 213.

Fr. Antonius de Metis Ep. Arausionis (di Orange) Vide part. 1 pag. 169.

Atrebati (di Arras) Aug. Ep.

Fr. Franciscus Richardotus (Richardot) sacrae Theologiae doctor in omni scientiarum genere longe versatissimus, atque post hominum memoriam eloquentiae laude, cui par accedebat pietas, celeberrimus, incredibilem sui admirationem excitavit, non imperitus, aut infrequens coram Regibus, Principibusque de quocumque themate ex memoria seu latine, sive gallice pari facundia eloqui. Prudentia atque auctoritate in sua dioecesi ea est usus ut quamquam dissidiis intestinis Belgica tumultuaretur Atrebates nihilominus frequenti concione in Fidei Romanae et

Catholicae professione observantiaque, et veri Principis Philippi II Hispaniarum Regis obsequio contineret .... Franciscus Richardotus, insignis theologus et orator, ad miraculum usque facundus, ex religioso Augustiniano factus est Episcopus Atrebatensis. Ita iisdem verbis scripsit Ferreolus Locrius in catalogo scriptorum Artesiensium pag. 684, et in chronicis Flandriae. Apud Ordinem statim ab emissa professione ingenii sui radios, suarumque virtutum splendorem effundere coepit; nam Parisiis aetatis suae an. 21 publice D. Pauli epistolas interpretatus fuit. Inde vero una cum nostrate Blasio Piperio in Italiam se contulit, ibique per aliquot annos commoratus cum doctissimis viris familiaritatem iniit, per quam occasionem, verba sunt Ossinger, in omni scientiarum genere insigniter profecit. Ob magnam doctrinae famam, atque illustre meritorum ornamentum gratiam sibi conciliavit, atque benevolentiam Atrebatium Episcopi Antonii Perenotii Granvellani Card. a quo et in suam familiam adscitus, et noviter erigendae Vesontionis Academiae praefectus fuit. In hac postea tanta eruditione, tantoque plausu sacras litteras interpretatus fuit, ut illum praefatus Atrebatensis Antistes an. 1554 Nicopolitanum Episcopum ac suum sibi coadjutorem eligendum curarit. Verum an. 1561 Granvellanus Mechliniam transfertur, atque illius Atrebatensem cathedram Richardotus obtinuit. Sedulo voce, ac scriptis laboravit ne calviniana lues suum gregem inficeret; quare tantam subiit haereticorum indignationem, ut in illum concionantem sclopetum exploserint, quamvis Deo protegente incolumis evaserit. Anno 1563 interfuit Concilio Tridentino, in quo habuit doctam atque elegantem orationem quae Lovanii impressa fuit. Decessit die 26 Julii an. 1574 aetatis suae 67, cum 13 annorum spatio difficillimis temporibus suam Ecclesiam summa cum laude rexisset. Quidam nescio qua de causa de Richardoti Augustiniana professione dubitarunt,

contra quos aperta, atque luculenta sunt multorum praesertim externorum scriptorum testimonia. Hos inter Antonius Possevinus Apparatus Sacri tom. I pag. 506 haec habet: Richardotus natione Burgundus Augustiniani Ordinis, et Episcopus Atrebatensis, theologus insignis. Vide quoque Franciscum Foppens Bib. Belgicae tom. I edit. Bruxel. 1739 pag. 307, Franciscum Swertium in Athenis Belgicis edit. Antuerp. 1627 pag. 352, Hieronymum Ghilini in theatro virorum litteratorum edit. Ven. pag. 91, Galliam Christianam Dionysii Sammarthani tom. 2 col. 348, Dictionarium Moreri tom. 9 pag. 187, quibus suffragantur etiam omnes nostrates, atque Ordinis regesta ad an. 1540.

Aureliae (di Orleans) Aug. Ep. Suff.

Fr. Petrus de Rosselet, Gallus, anno 1539 die 15 Januarii renuntiatur Episcopus Salonensis in Graecia, et Suffraganeus Aurelianensis. Vide Herreram tom. 2 pag. 269, et Elssium pag. 568.

Bajonae (di Bajona) Aug. Ep.

Fr. Garsias Henguy, Navarrus, historiae Regum Navarrae scriptor, Caroli III Navarrae Regis confessarius, an. 1390 jam Episcopali dignitate insignitus die 13 Februarii cum aliis Episcopis adfuit apud Pampelonam ejusdem Caroli III coronationi. Dionysius Sammarthanus tom. I Galliae Christ. col. 1317 n. 26 sub Bartholomaeo haec habet « Scripsit Garsias breviarium historiae Regum Navarrae, quae quidem probat fuisse virum doctum, et praecipuae auctoritatis, sed nullatenus convincit ipsum fuisse Bajonensem Episcopum declamantibus actis publicis. Verum Dionysius ignorasse videtur nostratem Garsiam etiam Menendum nuncupatum fuisse. De hoc autem in eodem vol. I

col. 1318 n. 27 ita loquitur: Menendus ex religiosa Eremitarum Augustinianorum familia electus (Episcopus Bajonae) signatur in actis et tabulis annis 1394 etc. » Quod autem hic Menendus idem sit ac Garsias Henguy, qui eo tempore sub praefato nomine Bajonensem Ecclesiam regebat patet ex Arnaldo Oihenarto in notitia utriusque Vasconiae qui in catalogo Episcoporum Bajonensium edit. Parisiis an. 1638 pag. 547 ita scribit « Menendus Garsias monachus an. 1397 » et iterum « Garcias Engujus monachus Augustinianus annis 1385 et 1390. Ex his luce meridiana liquet Menendum a Dionysio laudatum eumdem esse ac Garsiam. Juxta Gams, qui pag. 508 illum vocat Menendez sedit usque ad an. 1405. Videtur tamen supervixisse adhuc, atque obiisse Pampelonae circa an. 1417. Vide Herreram tom. I pag. 295, Elssium pag. 229, et Torellium tom. 6 ad 1385, n. 2.

Bethlehem (in Comitatu Nivernensi) Aug. Ep.

Fr. Joannes Apostolus Ord. Erem. S. P. Augustini S. Theol. Mag. an. 1498 die 9 Martii inauguratur Episcopus Bethlehemitanus in Gallia prope Climiciacum (Clamery) in Nivernensi Comitatu. Episcopatus nomen accepit a Bethlehem Palestinae cujus Episcopus e sua sede expulsus in Galliam initio saeculi XIII se recipiens alterius Cathedrae erectioni occasionem praebuit, eique nomenclationem reliquit. Vixit noster Joannes L'Apotre usque ad an. 1501. Vide Galliam Christianam tom. 12 edit. 1720 col. 694, et Gams pag. 517.

Fr. Aegidius Columna Arch. Biturigae (di Bourges) V. part. I pag. 36.

Burdigalae (di Bordò) Aug. Arch. praesentatus.

Fr. Jacobus Magni, Gallo-Tolosanus, S. Theologiae Doctor summi fastigii, Scripturarum interpres peritissimus, atque philosophus valde conspicuus in suis scriptis per praelum postea in lucem emissis aperte declaratur. In Italiam profectus aliquandiu in Patavina Universitate publicum philosophiae ac theologiae professorem egit. Cum esset regii principis ejus filii confessarius a Carolo VI Galliarum Rege ad Burdigalensem Archiepiscopatum praesentatus fuit, quem tamen honorem humillimus coenobita constanter recusavit, malens sine infula inter domesticos libros assidue litteris vacare quam infulatus multis negotiis periculisque obrui. Hanc mortalem vitam finivit valde senex an. 1422, fuitque penes nostrates Parisiis tumulatus. Vide Galliam Sacram Claudii Roberti in Arch. Burdig. ad an. 1422, Trithemium fol. 124, Ossinger pag. 532 et Lanteri vol. I pag. 310, apud quos scriptorum ejus catalogum invenies.

Catalauni (di Chalons) Aug. Ep. Suff.

Fr. Guilelmus de Furno, Gallus, S. Theologiae Magister et professor, an. 1496 renuntiatur Episcopus Archadiensis in Creta, et Suffraganeus Catalàuni in Gallia, Vide Herreram tom. 1 pag. 300, Elssium pag. 259, et Torellium tom. 7 ad an. 1496 n. 9.

Fr. Petrus Assalbitus Ep. Electae (di Alet) Vide part. I pag. 213.

Glandavae (di Glandeves) Aug. Ep.

Fr. Petrus Marini, conventus Aquensis in Gallia alumnus, S. Theologiae Mag. vir doctus, atque concionator

percelebris, Renati Andegavensis Ducis, Provinciae Comitis, atque Siciliae Regis confessarius, electus fuit Episcopus Glandevae in Provincia (Provenza) an. 1447. Interfuit an 1448 translationi reliquiarum SS. mulierum Mariae Jacobi, Mariae Salome, et Mariae Cleophe. Adfuit etiam provinciali Concilio Avenionensi an. 1457. Eodem anno ex hac vita migravit. In ecclesia nostratum Aquensium habebatur hujus Praesulis insculpta imago pontificalibus indumentis decorata, cum sequenti inscriptione, prout refertur a Dionysio Sammarthano tom. 3 col. 1244 « Prudens, munificus, affabilis, utilis, insons, mente, manu, lingua, doctrina, corporis arte: Glandatensis apex vocatus nomine Petrus, Renati Regis confessor, honore.... dignus, coenobii namque hujus alumnus inclita proles etc..... In Agnetis die hic doctor tumulatur iste Marini cognomen hunc recipiet sacrum flamen .... Manuscripta reliquit aliquot concionum volumina, et quosdam in S. Scripturam tractatus, in quorum 2 hoc habetur frontispicium « *Explanatio praecipuarum figurarum totius sacrae Scripturae R. P. D. Petri Marini Episcopi Glandatensis conventus Aquensis S. Aug. alumni*. Et in 3 « *Extracta quaedam ex historia ecclesiastica Eusebii Caesar. a reverend. P. D. Petro Marini Episc. Glandat. Ord. Erem. S. Aug.* Vide etiam Gams pag. 554.

Leodii (di Liegi) Aug. Ep. Suffr.

Fr. Theodoricus Guessei a Joanne XXIII die 1 Junii an. 1414 fit Episcopus Rosoniensis in Dalmatia sub Patriarcatu Constantinopolitano, fuitque postea Suffraganeus Leodiensis. Vide Herreram tom. 2 pag. 449, et Torellium tom. 6 pag. 454.

Fr. Gobelinus Bolant, qui alias vocatur Paulus Gobellinus de Colonia, S. Theologiae Doctor, et Romae in Basilica S. Petri poenitentiarius, quod munus postea Coloniae in Ecclesia S. Mariae ad Gradus exercuit, ex quo aliqui errato illum Episcopum Gradensem putarunt, anno 1432 electus fuit Episcopus Bargalensis in Macedonia, et Suffraganeus DD. Joannis Hinsbergici Episcopi principis Leodiensis. Vide Herreram tom. I pag. 297. Elssium pag. 244, et Crusenium pag. 175.

Fr. Petrus Vanden Hende, alias de Fine, Eccloniae prope Gandavum natus, alumnus coenobii Brugensis, an. 1516 erat S. Theologiae Doctor Parisiensis, et die 4 Nov. 1524 Provinciae gubernaculum obtinuit. Anno autem insequenti die 7 Junii inauguratur Episcopus Beryti in Phaenicia, et Suffraganeus Card. Erardi de la Marck Episcopi Leodiensis. Obiit Leodii repentina morte correptus die 27 Julii an. 1537 et in Augustiniana Ecclesia tumulatus fuit. Vide Herreram tom. 2 pag. 268, Elssium pag. 566, et Torellium tom. 8 pag. 126.

Fr. Gedeon Vander Gracht, alias de Fossà, Gandavensis, ex perantiqua atque nobilissima progenie ortus in patrio S. Stephani coenobio circa annum 1480 Augustinianae Familiae nomen dedit. Postea evasit Doctor Lovaniensis, ac pluribus vicibus praefati coenobii prioratum gessit. Fuit etiam secretarius D. Mariae Reginae Hungariae, et Gubernatricis Belgii. Anno 1534 inauguratus fuit Episcopus Castoriensis in Graecia, et Suffraganeus Leodiensis fuitque Canonicus S. Joannis ejusdem urbis. Difficillimo sui suffraganeatus tempore frequentibus ad varios Principes legationibus nobilitatus fuit, eorumque res mira dexteritate composuit. Postea obtinuit celeberrimam Abbatiam Cambronensem Ordinis Cisterciensis in Hannonia,

quam tribus tantum annis tenuit; nam dum eo in loco soli Deo vacaret piam mortem oppetiit die 15 Octobris an. 1554, aetatis suae 74. Vide Herreram tom. I pag. 303, et Elssium pag. 233.

Fr. Lambertus Le Drou Ep. Porphyriensis etc. Vide part. I pag. 226.

Leutevae (di Lodeve) Aug. Ep.

Fr. Gerardus de Robin, Gallus, per regiam praesentationem anno 1607 eligitur a Paulo V Episcopus Leutevae in provincia Narbonensi. In suam dioecesim sine pompa ingressus statim omnia boni pastoris munia adimplere studens sacram visitationem aggreditur, quaedam statuta ad Clericorum et Parochorum disciplinam instaurandam edidit, atque ad temporalia quoque suam curam convertens Montisbruni arcem instauravit. Anno 1609 per procuratorem P. Fr. Frigdericum de Charpena Aug. Concilio Metropolitano Narbonensi interfuit, et 1610 accepto funestissimo nuncio de Henrici Magni nece postremos tanto Regi honores persolvi curavit. Ad meliorem vitam transivit die 15 Januarii an. 1611. Laudatus etiam fuit a corporis praestantia, amore castitatis, munificentia in pauperes, ac praesertim pietate in Deum. Vide Galliam Christ. tom. 6 col. 572, Herreram tom. I pag. 304, et Elssium pag. 240.

Lucioni (di Lucon) Aug. Ep. Suff.

Fr. Guilelmus natione Gallus an. 1526, die 9 Aprilis renuntiatur Episcopus Sebastensis, et Suffraganeus Ludovici de Borbonio Episcopi Lucionensis in Gallia. Vide Herreram tom. I pag. 301, Elssium pag. 267, et Torellium tom. 8 ad an. 1526 n. 14.

Lugduni (di Lione) Aug. Ap. Suff.

Fr. Guichardus, alias Guiscardus a Lessart, patritius Lugdunensis, et Congregationis Bituricensis alumnus, S. Theologiae Magister, philosophus, ac theologus insignis, cum ex Priore Lugdunensi esset an. 1495 Provincialis Narbonensis, eodem anno electus fuit Episcopus Hierapolis, et Suffr. Archiepiscopi Lugdunensis. Hanc mortalem vitam degebat adhuc anno 1516. Vide Herreram tom. I pag. 300, Elssium pag. 254, Dominicum de Colonia hist. litterariae Lugd. tom. 2 pag. 406, et Ossinger pag. 507, ubi illius scripta referuntur. Fuerat in Parisiensi Athenaeo publicus sacrae theologiae professor.

Matisconae (di Matiscon) Aug. Ep.

Fr. Ludovicus Chautereau, S. Theol. Mag. an. 1515 erat confessarius Ludovici XII Regis Galliarum, et Reginae uxoris ejus, et postea an. 1527 item Regis Francisci I. Eodem an. 1527 fit abbas S. Euberti Aurelianensis. Ecclesiae Matisconensis Episcopus inauguratus fuit an. 1529. Vir bonae reformationis percupidus an. 1531 mense Aprili synodum dioecesanam celebravit, et dum in clero morum correctionem molitur, praepeditus ne ad rectum, quo pie tendebat, scopum perveniret, et undique obstaculis circumseptus, atque omni spe ulterius secundum Deum proficiendi destitutus, tempori cessit, et Lutetiam suarum domicilium musarum contendit. Ibidem mortalis vitae cursum confecit die 24 Sept. ejusdem anni 1531. Dicitur a Pamphilo *in sacris Scripturis apprime eruditus*. Vide Galliam Christ. tom. 4 col. 1093, Herreram tom. 2 pag. 15, Elssium pag. 538, Pamphilum fol. 108, et Gams pag. 573.

Niverni (di Nevers) Aug. Ep.

Fr. Carolus Argier, Gallus, an. 1533 ad explicandum in Parisiensi Universitate librum sententiarum designatur, et 1544 erat Card. Ludovici de Borbonio ecclesiastes, (ita Herrera) atque postea usque ad an. 1558 regium concionatorem egit. A Pamphilo in chronicis ad an. 1561, quo eximius hic scriptor adhuc videbat, noster Carolus dicitur Praesul Nivernensis. Videtur idem esse qui tom. 12 Galliae Christ. edit. 1720 col. 657 appellatur Carolus Chantereau quique an. 1558 a Ducissa Nivernensi ad illum Episcopatum praesentatus, die 24 Aprilis an. 1559 a Summo Pontifice approbatus fuit, quamvis illius dioecesis regimen consequi deinde minime potuerit. Vide Herreram tom. I pag. 147, et Torellium vol. 8, pag. 405, ubi vocatur *Carlo Argier, o Ardier Vescovo di Nivers.*

Pictavii (di Poitiers) Aug. Ep. Suff.

Fr. Petrus Gallus a Joanne XXIII die 13 Aprilis an. 1413 eligitur Episcopus Gabalensis in Syria, et Suffraganeus Pictaviensis. Vide Robertum Claudium pag. 445, Torellium tom. 6 pag. 522, et Herreram tom. 2. pag. 263.

Rothomagi (di Roven) Aug. Ep. Suff.

Fr. Joannes natione Gallus anno 1458 erat Episcopus Demetriadis in Thessalia, et Suffraganeus Archiepiscopi Rothomagensis Card. Guilelmi de Esteuteville, qui fuit Ordinis nostri munificentissimus Protector. Degebat Joannes in coenobio Rothomagensi, ibique ad hujus mortalis vitae terminum pervenit die 18 Feb. an. 1463. Vide Herreram tom. 1. pag. 434, et Torellium tom. 7 pag. 135 ad an. 1463,

Fr. Robertus Clementis Rothomagensis S. Theologiae Doctor, dum esset Provincialis an. 1469 die 14 Maji a Paulo II renuntiatur Episcopus Hipponensis, et Suffraganeus Rothomagensis. V. Herr. tom. 2 pag. 341 et Elssium pag. 603.

Senonum (di Sens) Aug. Ep. Suff

Fr. Jacobus Anxuerii, Gallus, an. 1536 die 6 Septembris inauguratur Episcopus Chalcedonensis, et Suffraganeus Card. Ludovici de Borbonio in administratione Ecclesiarum Senonensis, et Laudunensis in Gallia. Vide Herreram tom. I pag. 441, et Elssium pag. 305.

Trecorii (di Treguier) Aug. Ep.

Fr. Christianus de Alta Ripa, Gallus, sacrae Theologiae magister qui a Gams dicitur Christophorus Tristan de Haute Rive, an. 1408, die 17 Septembris eligitur Episcopus Trecorii in Britannia minori. Anno insequenti interfuit Concilio Pisano. Rexit suam Ecclesiam usque ad obitum, qui contigit an. 1417. Vide Galliam sacram Claudii Roberti pag. 492 n. 105, Gams pag. 642, Herreram tom. I pag. 147, et Moroni vol. 79 pag. 228.

Tulli (di Toul) Aug. Ep.

Fr. Fridericus de Muehlhausen, Borussicus, vir fuit virtutibus, ac doctrina excellens, qui apud suos summo in honore habebatur. An. 1391 die 22 Jan. a Bonifacio IX in locum Card. Joannis de Novo Castro qui Antipapae adhaeserat, suffectus fuit ad regendam Ecclesiam Tullensem sub Archiepiscopatu Trevirensi. Non reperitur illius nomen apud Sammarthanos, quia eamdem sedem Tullensem post praefatum Joannem de Castro Novo occupavit Guarinus ab

Antipapa intrusus. Fridericus autem noster an. 1392 ab Archiepiscopo Moguntino in suum coadjutorem assumptus fuit, et anno insequenti haereticae pravitatis Inquisitor constitutus. Cum laudabiliter per plures annos episcopali muneri satisfecisset, tandem hujus peregrinationis cursum complevit Moguntiae die 30 Junii an. 1401, et apud nostrates sepelitur. Vide Herreram tom. I pag. 239, Elssium pag. 217, et Hohn. pag. 75.

Venciae (di Venza) Aug. Ep.

Fr. Raphael Monso, Barcinonensis, Renati de Andegavo (d'Angiò) Siciliae Regis, et Provinciae Comitis confessarius, an. 1463 eligitur Episcopus Venciae in Provincia. Plura beneficia in suam ecclesiam contulit, quorum ut memor, et gratum Capitulum se ostenderet, decrevit ut singulis annis in perpetuum suis sumptibus illius anniversarium celebraretur. Nam Cathedrale templum organis instruxit, ac decoravit, et pretiosissimis ornamentis locupletavit eidem Capitulo unum Clericatum adauxit, eique Prioratum univit SS. Petri, et Joannis de Gandà, et de Pugetono, D. Lamberti sepulcrum an. 1468 reseravit, ejusque caput in argentea theca inclusit, caeteris reliquiis in sepulcro relictis. Habitationem S. Laurentii de Varo an. 1485 hominibus triginta donavit ut ipsi, et eorum successores tenerentur propriis sumptibus habere naviculam ad transvehendum de ripa ad ripam Vari, amore Dei et absque mercede, homines animalia, et res quascumque. An. 1487 per procuratorem interfuit concilio Aquarum Sextiarum, complevitque cursum peregrinationis suae die 2 Octobris an. 1491. Illius corpus in cathedrali humo mandatum fuit. Consule Galliam Christ. tom. 3, col. 1226, Herreram tom. 2 pag. 186, Elssium pag. 599, Moroni vol. 90, pag. 179, et Gams pag. 651.

Fr. Bernardus Aggerius Ep. Carinulae in Campania. V. part. I. pag. 60.

Fr. Petrus de Bruniquello Ep. Civitatis Novae in Istria. V. part. I pag. 70.

Fr. Petrus de Anguiscen Ep. Montis Flasconis in Patrimonio S. Petri. V. part. I pag. 115.

Fr. Petrus Amely Ep. Senogalliae in Piceno. V. part. I pag. 159.

Fr. Arnoldus de Carcassone, Gallus, an. 1439 renuntiantur Episcopus Bodonae in Epiro. Vide Herreram tom. I pag. 40, Elssium pag. 84, et Torellium tom. 6 pag. 706.

Fr. David Gallus S. Theologiae Doctor dicitur a nostratibus in scientia atque vitae integritate conspicuus, qui post Provincialatus munus laudabiliter gestum inauguratus fuit Episcopus *Rocensis*. Videtur tamen aliqua litterarum commutatio irrepsisse in tituli episcopalis scriptionem, ac legendum potius esse Rosensis, qui titulus est in partibus infidelium. Ponitur nostratis Davidis Episcopatus ad an. 1327. Variis a Galliarum Rege legationibus modo in Burgundiam, et modo in Brabantiam nobilitatus fuisse fertur. Vide Herreram tom. I pag. 195, Elssium pag. 161, Torellium tom. 5 pag. 436, et Lanteri vol. I pag. 204.

Fr. Guilelmus de Normandia, alias de Francia, S. Theol. Lector, qui fuit Prior Rhodiensis coenobii, et Praeses Capituli provincialis Terrae Sanctae an. 1425, paullo post idest 1426 inauguratus fuit Episcopus Se-

riensis, alias Serensis in Palaestina, uti constat ex Regestis Generalium. Vide Herreram tom. I pag. 296, Elssium pag. 259, et Torellium tom. 6 ad an. 1426. n. 10.

Fr. Hyacinthus Le Blanc, Gallus, Prior coenobii Aquensis an. 1728 a Benedicto XIII inauguratus fuit Episcopus Joppes in Palaestina. Eodem anno mense Majo adfuit eidem Summo Pontifici DD. Fr. Antonium Bianchi Minoritam consecranti. Vide Diarium romanum ad praefatum mensem, et annum pag. 5, et Reg. I Generalis Bellelli pag. 168.

Fr. Petrus Robini, Gallus, Tolosani coenobii alumnus, vir ob sanctimoniam, ac doctrinam in Gallia apud omnes in magno pretio habitus, anno 1419 erat Provincialis Narbonae, quod munus gerebat etiam an. 1433, quo Episcopatum Hipponensem obtinuit. Vide Pamphilum fol. 73, Anastasim Gratiani pag. 153, Herreram tom. 2 pag. 266, et Ossinger pag. 753.

Fr. Petrus de Tolosa, Gallus, alumnus coenobii Genoae, alias Geaunae in dioecesi Adurensi, an. 1490 cum esset Episcopus Veriensis (di Veria) in Macedonia consecravit ecclesiam praefati coenobii. V. Herr. tom. 2 pag. 319, et 267, et Els. pag. 585.

GERMANIA

In Germania quoque Augustiniana Eremus jam inde a tempore magnae Ordinis unionis cum illustrium doctrina ac pietate virorum multitudine tum insignium coenobiorum copia florere coepit, prout apud nostrates Herreram, Ossinger, Lubin, Lanteri, atque alios videre licet. Antequam de inferno specu venenatum caput attolleret Lutheranae haeresis

teterrimum monstrum extabant in illa regione ac finitimis provinciis Eremitani Ordinis coenobia plusve minusve centum, ex quibus in praesentiarum perpauca tantummodo supersunt in Bavaria, Bohemia, Moravia, atque Polonia; caetera autem ab initio infaustae Reformationis usque ad praesentes hos dies diversis temporibus hostilium potestatum iteratis ictibus succubuerunt. Nunc autem ut ad scopum nostrum propius accedamus, qui nimirum est ut hoc in loco de nostratibus Germanis Episcopis verba faciamus operae pretium cum nostro Felice Milensio in suo Alphabeto Augustiniano pag. 108 animadvertere existimamus quod fere omnes quotquot ex nostris fuere Episcopatum in Germania consecuti, fuerunt Episcopi titulares et coadjutores aliorum Episcoporum, propterea quod pingues Episcopatus ad quos jus praesentationis vel ad Principes, vel ad Canonicos spectabat, vel ipsorum Principum consanguinei vel ipsi Canonici adipiscebantur; nam ut plurimum Principes suos consanguineos, et Canonici aliquos de ipsorum gremio praesentabant. Quare fere semper in Germania iidem erant Episcopi qui viri nobiles atque Romani Imperii Principes et ipsi negotiis secularibus frequenter implicati, necnon haud raro bellis etiam gerendis intenti amplissimos illos Episcopatus rite administrare nequibant; unde necessitas exorta est atque consuetudo habendi Episcopos suffraganeos seu coadjutores, quales inter caeteros fuere nostrates sequentes fere omnes.

Argentinae (di Argentina) Aug. Ep. Suff.

Fr. Nicolaus, Bick Germanus, vir maximae venerationis, excellentiae et doctrinae, fuit Episcopus titularis Rosensis (di Rosa) in Syria, et suffraganeus sive coadjutor Argentinensis. Obiit Hagenoae die 22 Septembris an. 1475, fuitque penes nostrates cum sequenti epitaphio tumulatus

« Fr. Nicolaus Bick Episcopus Rosensis Ord. Erem. S. Augustini R. I. P. Ex nostrate Antonio Hohn pag. 112, et ex relatione P. Mag. Pii Keller.

Basileae (di Basilea) Ep. Aug. Suff.

Fr. Bonifacius, Germanus, de quo jam part. I pag. 42 verba fecimus, quique omnino diversus est ab alio nostrate Episcopo Bonifacio qui fuit Suffraganeus Tridentinus, et postea Episcopus Bosae in Sardinia, sub titulo Episcopi Bosnensis alias Bosoniensis in Illyrico ab anno 1289 usque ad 1299 Suffraganeum egit Episcopi Basileensis. De hoc Augustiniano Praesule plura extant scriptorum testimonia, quibus asseritur variis in locis episcopalia officia exercuisse, praesertim plura templa, atque altaria in illa regione consecrasse. Vixisse videtur usque ad praefatum an. 1299. Nominatur ab Herrera tom. 1 pag 104, a Moronio vol. 67 pag. 42, et in actis Societatis Ulmensis 1871 fasc. III pag. 92.

Fr. Nicolaus Friez de Brisaco de superiori Alsatia oriundus in Italia studiorum cursum complevit, evasitque vir sacris profanisque litteris egregie doctus. In suam Germaniam reversus nostrates alumnos primum Heidelbergae philosophiam, ac deinde Argentinae sacram theologiam docuit. Anno 1448 electus fuit Prior coenobii Friburgi Brisgoviae, et 1459 die 13 Decembris Episcopus Tripolitanus, et Suffraganeus Basileensis. Inter caetera quae exercuit officia pontificalia Nicolaus noster an. 1479 sacro Pentecostes die DD. Gasparem Zu-Rhein Episcopum electum Basileensem solemni pompa consecravit. Suae Augustinianae Religionis, quae illum enutrivit et exaltavit, minime oblitus, illam prout potuit semper adjuvit, ac praesertim coenobiis Basileensi, et Brisacensi multa bona lar-

gitus est. Postquam per annos circiter 40 episcopale munus summo cum studio obiisset, tandem meritis plenus annos natus plus octoginta Basileae hujus peregrinationis cursum explevit die 17 Julii an. 1498. Laudatur a nostratibus Antonio Hohn pag. 120, et Philippo Elssio pag. 514. Reliquit manuscriptum libellum de methodo concionaudi.

Bremae (di Brema) Aug. Ep. Suff.

Fr. Joannes Vennekerus de Meppis in sua Germania Eremitanum Ordinem amplexus studiorum causa in Italiam venit, atque postquam in Bononiensi Universitate theologicis disciplinis operam navasset, ibidem doctoralem lauream accepit. In Germaniam reversus Osnabrugensis coenobii prioratum obtinuit an. 1476, quo tempore a supremo Ordinis Moderatore facultatem impetravit episcopalem dignitatem acceptandi. Dicitur fuisse insignis theologus, vir eximiae integritatis, et pietatis, liberalissimus in pauperes, atque devotione erga Deiparam sine originali labe conceptam flagrantissimus, de quo singulari illius privilegio insignem tractatum edidit. Videtur circa praefatum an. 1476, et non antea , quamvis alii secus scripserint , Episcopus Larissae (in Syria) et Suffraganeus sive coadjutor DD. Henrici de Schwarzburg Archiepiscopi Bremensis, et Episcopi ac Principis Monasteriensis inauguratus fuisse. Ex hac vita migravit Joannes Venneker an. 1496 circa festum S. Martini. De illo mentionem faciunt Ossinger pag. 583, Marraccius in appendice ad Bibl. Marianam pag. 66, Herrera tom. I pag. 435, Dominicus Mansi Bibl. tom. IV pag. 104, et Lauteri vol. 2 pag. 97, ubi scriptorum ejus catalogum reperies.

Coloniae (di Colonia) Aug. Ep. Suff.

Fr. Joannes de Alen, Germanus, anno 1400 erat Episcopus titularis Cyrenes in Lybia, et Suffraganeus sive coadjutor Friderici III Archiepiscopi Coloniensis, quo nomine plura pontificalia officia exercuit. Ex manuali authentico Archidioecesis Coloniensis edit. 1869.

Fr. Theodorus de Caster, Germanus, vir fuit amoeniorum litterarum amantissimus, qui eruditorum sui temporis amicitia atque familiaritate honestabatur. Ex Priore conventus Coloniensis evasit Episcopus Cyrenensis, et Suffraganeus Coloniensis. Certis documentis constat illum ab an. 1506 usque ad 1514 munera pontificalia gessisse; ast dies obitus illius ignoratur, licet videatur ante an. 1525 ex hac vita migrasse. Ex historia Coloniensi Fr. Ennen, et ex praefato Manuali Coloniensi.

Constantiae (di Costanza) Aug. Ep. Suff.

Fr. Tholomaeus sive Bartholomaeus, Germanus, qui ab Herrera dicitur Episcopus Bardensis alias Buduensis, et a Lanteri Bardanensis, (in Dalmatia) rectius a nostrate Pio Keller appellatur Episcopus Sardensis, sive Sardanensis (di Sardes) in Lydia. Hujusmodi menda praesertim ante artem typographicam inventam nominibus propriis locorum facile amanuensium incuria subrepebant. Episcopatum obtinuit circa an. 1374. Ipse Tholomaeus in suis actibus episcopalibus se nominavit venerabilis Patris ac Domini Rudolphi Episcopi Constantiensis in juribus pontificalibus plenarie vicesgerentem. Unus fuit e duodecim Legatis ab an. 1285 ad 1287 ad Honorium IV missis ad impetrandas indulgentias pro nosocomio Lucernae construendo. Videtur obiisse circa praefatum an. 1287. Consule Herreram tom. 2

pag. 448, Torellium tom. 4. ad an. 1274 n. 20 ubi dicitur Concilio Lugdunensi interfuisse, Archiv. dioec. Friburgens. pag. 211-212, et Neugart Episcopatus Constantiensis tom. 2 pag. 267.

Curiae Rhaetiorum (di Coira) Aug. Ep.

Fr. Uldericus vel Ulricus Scultetus (Scultheiss) e nobili familia de Lentzburg, S. Theologiae Doctor, vir fuit cum generis nobilitate, tum scientiarum ac virtutum splendore valde conspicuus. Erat enim, ut scribit Ossinger, rhetor, philosophus, theologus, historicus, et expositor sacrae Scripturae excellentissimus. A Joanne XXII anno 1332 in Episcopum Curiae in Rhaetia et in S. R. Imperii Principem electus fuit. Thomas Herrera tom. 2 pag. 501 citans Chronicum Alberti Argentinensis causam et initium illius promotionis ita describit: Matthias filius Henrici Comitis de Buccheke, et Landgravii de Burgandia, et uxoris ejus filiae Comitis de Strasburg habuit confessorem fr. Ulricum de Lentzburg Lectorem Ordinis Eremitarum S. Augustini, qui in magnam familiaritatem ratione ipsius Domini Matthiae assumptus, tandem post multos labores, post Domini Matthiae obitum per ipsum Papam (Joannem XXII) in Curiensem Episcopum est promotus. Hic Augustinensis strenue se tenens Dominum de Vatz antiquum Ecclesiae Curiensis persecutorem usque ad ipsius de Vatz mortem persequi et destruere non cessavit, qui antea Episcopos Curienses et Dominos ei assistentes destruxit. Quare a scriptoribus Ulricus noster appellatus fuit egregius bellator. Pugnavit etiam an. 1346 contra Ludovicum de Brandenburg illegitimum Ludovici Bavari filium, a quo tamen victus, et captus est, eodemque tempore libertate donatus. Bona et redditus suae Ecclesiae ampliavit; emit enim a nobili viro de Landario duas arces amplissimas et maximi pretii

Juvaltam, et Rietbergum cum omnibus bonis et agris ad eas pertinentibus. Aliquandiu spem aluit propter animarum pericula eliminanda Imperatorem Ludovicum Bavarum Romano Pontifici reconciliandi, qua de causa an 1338 una cum aliis Legatis Avenionem ad Benedictum XII se contulit. Verum cum videret vir rectae intentionis, spectataeque morum integritatis Imperatorem sua perversa agendi ratione novas in dies cum Summo Pontifice inimicitias conflare, omnemque pacis conciliandae spem fuisse sublatam, illo tandem relicto, totum se Clementis VI partibus mancipavit. Friderici III Austriae Archiducis per aliquot annos praeceptor fuerat, et Imperatori Carolo IV ob suas egregias virtutes se acceptissimum reddidit, a quo propterea an. 1354 potestatem accepit singulis hebdomadibus Fuerstenaviae nundinas habendi, et praeterea singulis annis bis comitia solemnia cogendi, in quibus ei vel supplicium de reis sumere liceret. Tandem eximius Praesul de sua Curiensi Ecclesia optime meritus die 25 Martii an. 1355 ex hac ad aeternam vitam migravit in oppido Sargantio, (Sargans) unde paullo post ad suam cathedralem Basilicam solemni pompa translatus fuit. Rexit illam dioecesim an. 23. De illo mentionem faciunt Ossinger pag. 828, Gandolphus pag. 346, Lanteri vol. I pag. 122, Guilelmus Eysengrein in catalogo testium veritatis fol. 134, et Bucelinus in Rhaetia sancta et profana pag. 269-276.

Frisingae (di Frisinga) Aug. Ep. Suff.

Fr. Joannes Berger, Germanus, fuit Episcopus Bellinensis (di Bellina) in Phaenicia maritima, et Suffraganeus Frisingensis, et Brixinensis (di Brixin) in Bavaria et Comitatu Tirolensi ab an. 1480 usque ad 1481, quo ad meliorem vitam die 26 Junii transivit. Tumulatus fuit in nostra Ecclesia Monacensi. Apud Ordinem officium

Prioris, et gradum Lectoris obtinuerat. Ex Milensii Alphabeto pag. 60, et ex Archivio ot Schematissimo Archidioec. Monac. Heckenstaller canon. decan. Monac. 1830.

Fr. Potrus Ulmer de Gamundia, Germanus, S. Theologiae Magister Bavariae Ducum concionator, ct Basileao poenitentiarius, anno 1430 electus fuit provinciae Rheno-Svevicae Prior Provincialis, ct 1437 Episcopus Mitroconianus (forsitan Metrocomiae sub Patriarch. Hierosolim.) et Suffraganeus Frisingae. An. 1439 in festo SS. Apost. Petri et Pauli altare et chorum nostri Gamundiani coenobii in honorem B. M. V. de Visitatione, et dic 1 Octobris 1449 octo altaria in Ecclesia S. P. Augustini Monachii consecravit. Videtur mortalis vitac cursum explevisse Gamundiae praefato an. 1449. Ex nostrate Hohn. pag 89, ex Schematissimo Archidioec. Monaco-Frisingensis Heckenstaller Capit. Metropolit. Monac. Decan. 1830, et ex Torcll. tom. 6 pag. 684.

Halberstadii (di Halberstadt) Aug. Ep.

Fr. Albertus de Saxonia ex pago Rickerstorffensi expletis Pragac inferioribus studiis, Parisios se contulit, ubi doctoralem lauream obtinuit. Quamvis theologica etiam scientia praestaret, multo tamen magis philosophica atque mathematica excellebat. Noster Fulgentius Monfortis Abellinas, qui fuit Episcopus Nusci, in quadam panegyrica oratione, cui titulus *Adamus gratiae*, in laudem D. Augustini, narrat nostratem Albertum tamquam alium Archimedem talem motricem vim, qua per aerem volaret, aeneae columbae aliquando indidisse. Electus fuit Episcopus Halberstadensis (in Saxonia) ct S. R. Imperii Princeps anno 1366 praefuitque annis 24. De illo hacc habet Petrus de Alva Minorita in appendico Bibliothecae Conceptionis co-

lumna 1499: Albertus de Saxonia Ord. S. Augustini, et Episcopus Halberstadiensis . . . . propter amorem Virginis multas propositiones Parisiis et Pragae de Immaculata Conceptione defensavit, in quibus gloriosam Virginem ab originalis peccati macula immunem fuisse probavit. Mortalem cum immortali vitam jam senex commutavit an. 1390, et in cathedrali ante altare S. Lini Papae et martyris tumulatus fuit. Mentionem de illo faciunt etiam Ossinger pag. 798, Gandolphus pag. 37 ubi illius scripta recensentur, Possevinus Apparat. Sac. tom. I pag. 35, et Albertus Fabricius in Bibl. a D. Mansi aucta tom. I pag. 49.

Herbipolis (di Wurtzburgo) Aug. Ep. Suffr.

Fr. Bertholdus, Germanus, vir ob eximias virtutes apud omnes coaevos summo in honore habitus, anno 1357 erat Episcopus Cyganensis, seu Zyganensis in Colchide, et Suff. Herbipolensis in Bavaria; nam eodem anno legitur sub praefato titulo, ac nomine et auctoritate DD. Alberti Comitis de Hohenlohe Episcopi Herbipolensis et Franconiae Ducis quaedam episcopalia munia obiisse. Debitum naturae persolvit Herbipoli die 13 Junii an. 1360, et apud nostrates in choro tumulatus fuit. Vide Hohn pag. 58 ubi errato ponit illius Episcopatum in Hungaria, Gropp hist. Franconiae vol. 2 pag. 831, et Wiltsch L. C. tom. I pag. 429.

Fr. Joannes de Karlestatt (de Carlostadio in Franconia) vir fuit non minus morum innocentia quam eruditione spectabilis, qui propter religiosam vitam cum singulari sapientia conjunctam apud omnes coaevos magnam sibi existimationem comparavit, cum in Herbipolensi Universitate doctrinae suae radios diffunderet, a Bonifacio IX die 28 Octobris an. 1389 creatur Episcopus Tycopolis (in

Armenia) et Suff. Herbipolensis. Sub tribus Episcopis Herbipolensibus, iisdem Franconiae Ducibus Suffraganei, sive coadjutoris munia cum laude gessit usque ad annum 1413, quo Herbipoli die 7 Decembris ad meliorem vitam transivit, et in Ecclesia Ordinis ante altare majus honorifice sepultus fuit. Ex Chron. Francon. vol. I pag. 306, Reinger de Ep. Suff. Herb. pag. 61-66, et Hohn pag. 77-80-81.

Magdeburgi (di Magdeburgo) Aug. Ep. Suff.

Fr. Joannes Recz de Bobeno, Saxo, Augustiniani coenobii Magdeburgensis Prior, opera praesertim Burckardi III Archiepiscopi Magdeburgensis, qui vir pietate ac zelo justitiae insignis illam sedem an. 1307 obtinuit, in Episcopum Coroniensem alias Coroniacensem (di Coron) in Macedonia, et in ejus Suffraganeum sive coadjutorem electus fuit. Episcopali dignitate jam decorabatur an. 1313, quo nostram Monarchii Ecclesiam visitantibus indulgentias aliquot concessit. Adhuc hanc mortalem vitam degebat an. 1338. Primus fuit Magdeburgensium Antistitum Suffraganeus. Consule Dreyhaupt, et Walther *Singularia Magdeburgensia*, Hohn pag. 48, et Herreram tom. I pag. 255.

Moguntiae (di Magonza) Aug. Ep. Suff.

Fr. Incelerius Prodiz, Hungarus, anno 1276, die 7 Septembris inauguratus fuit Episcopus Buduae (di Budoa) in Dalmatia, fuitque subinde in pluribus Germaniae dioecesibus Suffraganeus, sive coadjutor, Herbipolensi scilicet, Bambergensi, Caminensi, Constantiensi, Halberstadiana, ac praesertim Moguntina. Dicitur fuisse Praelatus pietate, doctrina, rerum agendarum usu atque peritia insignis, nec non erga nostram Augustinianam Religionem singulari amore atque zelo flagrans. Multis annis Episco-

palem dignitatem cum laude sustinuit, quo tempore multis in Germaniae locis varia pontificalia officia gessit. Videtur vixisse Incelerius usque ad an. 1299. Mentionem de illo faciunt Farlatus tom 7 pag. 212 Herrera tom. 2 pag. 424, Rosnak de Prov. Hungarica pag. 52, Neugart de Ep. Const. vol. 2 pag. 267, Neher pag. 208, et 506, Severus in memor. propontif. Mogunt. pag. 9 et 10, et Christianus Joannis in *Rebus Moguntinis* edit. 1722.

Fr. Joannes, Germanus, jam inde ab anno 1312 Episcopalibus infulis decorabatur. Mendose exarasse videntur scriptores nomen illius titularis Ecclesiae; nam dicitur Episcopus *Lavacensis* in Hungaria, cum haec dioecesis ante an. 1468 nondum extiterit. Amanuensium incuria scriptum puto *Lavacensis* pro *Labariensis*, seu *Libariensis*, *vel Libanensis*, quae sedes sita erat in Hellesponto sub Metropoli Cyticensi, uti refert Moroni vol. 38 pag 170. In quodam manuscripto exemplari transumpto ex Archivio conventus Erfurtensis dicitur Episcopus Ecclesiae *Lanacensis*, et Archiepiscopi Moguntini vicesgerens. Vivebat adhuc an. 1317. Ex christiano Joannis de rebus Mogunt. vol. 2 pag. 425, et ex nostrate Antonio Hohn pag. 49.

Fr. Henricus Koefgarten, Germanus, S. Theologiae Magister, fuit insignis theologus, atque egregius concionator. An. 1456 ipso Paschatis pervigilio inauguratur Episcopus Rosensis (di Rhoso) in Cilicia, et Suffraganeus Archiepiscopi Moguntini. Pontificalia munia exercuit usque ad an. 1460. quo ad immortalem vitam die 24 Martii transivit. Sepultus fuit in choro Aug. Ecclesiae Moguntiae ad latus nostratis Ep. Tullensis Frigderici de Muehlhausen. Ex Georgio Christiano Joannis de rebus Mogunt. pag. 434, 909, 810, et ex Antonio Hohn pag. 103.

Fr. Joannes Sculteti Gultenhaus appellatus, qui alias dicitur Joannes Menung de Lippia, fuit apud Ordinem S. Theologiae Lector. An. 1463 a Rmo P. Generali ad Osnabrugensem conventum Vicarii generalis nomine et auctoritate insignitus mittitur, ut in eo incoeptam reformationem confirmaret. Inauguratus fuit Episcopus Cyrenensis (in Lybia) et Suffraganeus Moguntinus die 23 Octobris an. 1466. A scriptoribus dicitur vir fuisse virtutibus ac scientiis commendabilis. Spiritum Deo reddidit die S. Viti an. 1489, et in Augustiniano coenobio Eswicensi in partibus Hassiae tumulatus fuit. Vide Hohn pag. 118, Evelt pag. 52. et Elssium pag. 342. Illi autem qui praefatum Joannem putant fuisse Episcopum Syrae in mari Aegaeo scire debent derivativum Syrae esse non quidem Syrenensem, sed Syrensem vel Syranum.

Fr. Wolterus Henriquez a Streversdorf, Germanus, e nobilissima aeque ac antiquissima Hispanica de Henriquez familia oriundus, primam lucem aspexit Novesii Ducatus Montensis prope Coloniam anno 1588. Eremitanum Ordinem Coloniae ingressus, in sacris disciplinis ita profecit ut publicus S. Theologiae in Coloniensi Universitate professor evaserit. Fuit subinde apud Ordinem novem annis Prior Coloniensis, Provincialis atque Thuringiae et Saxoniae Vicarius, et Commissarius generalis. Anno 1634 electus Episcopus Ascalonensis in Palaestina, episcopalem consecrationem accepit a DD. Joanne Pelking Episcopo Cardicensi in Augustiniana Coloniensi Ecclesia die 7 Januarii an. 1635, atque an. 1644 ab Anselmo Casimiro Wambold Arch. et Principe Electore Moguntino Erfurti et in partibus Thuringiae suus in pontificalibus muniis obeundis vicarius constituitur, atque per obitum Zachariae Episcopi Suffraganei Herbipolensis in hac quoque dioecesi Suffraganeum egit. Anno autem 1645 die 8 Septembris DD. Joan-

nem Philippum ex nobilissima Schoemborniorum gente electum Antistitem Herbipolensem solemnibus adhibitis caeremoniis Episcopum consecravit. Erat Wolterus noster Praelatus, ita Ossinger, omni laude, et reverentia dignissimus, qui cum magna prudentia, atque eximia virtute floreret, meruit ut cum a Joanne Philippo in locum Anselmi Casimiri ad Cathedram Moguntinam evecto, tum a Leopoldo Wilhelmo Archiduce Austriae ad consilia adhiberetur. Consecravit etiam DD. Lotharium Frigdericum Episcopum Spirensem, eique postea ad Archiepiscopatum Moguntinum translato pallium imposuit. Inter caeteros honores quibus eximius Praesul nobilitatus fuit reticeri non debet illum renuntiatum fuisse Ecclesiae B. M. V. Erfurti, et coenobii S. Benedicti de Geling Praepositum, necnon an. 1656 Universitatis Moguntinae Cancellarium atque Rectorem Magnificum, et 1658 solemnitati, qua Leopoldus I Francofurti antiquo caeremoniarum ritu Imperator inaugurabatur primo inter Episcopos loco ceu natu majorem astitisse. Tandem cum ab an. 1658 Coloniae moratus fuisset, multaque pontificalia munera in hac dioecesi exercuisset, 1670 Moguntiam rediit, ubi canonicatum obtinuerat, et ubi etiam multas spinas ac tribulos colligere coactus fuit; ibique meritorum ac dierum plenus annos natus 86 ex hac vita migravit die 7 Maji 1674, et quamvis pia animi humilitate in perystilio sepeliri postulasset, tamen a nostratibus intra Ecclesiam ante altare majus reconditus fuit cum sequenti epitaphio, quod adhuc vivens sibi paraverat, quodque lectu utile videtur si non propter elegantiam, saltem propter substantiam: « Lector! Quid agam requiris? Tabesco. Scire quis sim cupis? Fui Wolterus vapor et fumus. Vitae quae fuerint condimenta flagitas et rogas? Servire aliis, sustinere invidias, aemulationes, despectus, degradationes, persecutiones non curavi. Quos habui charos plerosque sepelivi. Raro subinde tamen ami-

cum sincerum, vel candidum videre experirique dignus fui. Siste viator! Nil stabile sub sole esse cogita. Hic opta cineres placida cum pace quiescant, atque mihi siquidem sit requies animae ora, quaeso, Deum optimum Maximum ». De illo cum laude mentionem faciunt Josephus Hartzbein in Bibl. Colon. pag. 321, Jo. Franciscus Foppens in Bibl. Belg. tom. 2 pag. 1167, Ossinger pag. 877, Hohn pag. 296, et Lanteri vol. 2 pag. 285, ubi eruditionis ejus monumenta recensentur.

Monasterii (di Munster) Aug. Ep. Suff.

Fr. Henricus Schadehoet de Dissen in Saxonia fuit apud Ordinem S. Theologiae Magister, et in Rostocniensi Universitate professor publicus. Anno 1494 inauguratur Episcopus ignoti tituli, et postea Suffraganeus DD. Conradi de Rettberg Episcopi Monasteriensis, et Osnabrugensis. Vivebat adhuc an. 1508. Vide Herreram tom. I pag. 343. A. Tibus pag. 50-51, Regist. gen. Saxon. pag. 56, et Elssium pag. 274.

Fr. Joannes Meler, alias Pistoris, Germanus, S. Theol. Mag. an. 1511 erat Episcopus Tricalensis in Thessalia, et Suffraganeus Monasteriensis ac Osnabrugensis, quibus in muneribus praefato Joanni Schadehoet immediate successit. De illo haec scribit Binterim de Suff. Coloniens. pag. 67: Anno 1520 Joannes Meler O. S. P. Augustin. Episcopus Tricalensis, Suffrag. Monasteriensis et Osnabrugensis Coloniae prope fratres Conventuales in platea, quae arcta vocatur, sacellum Deo dedicavit sub titulo Praesentationis B. M. V. ad usum Monialium 3 Ordinis S. Francisci etc. Idem Episcopus Tricalensis in dioecesi Coloniensi Commissarium egit DD. Archiep. Hermanni de Weda, cujus nomine et auctoritate an. 1521 quoddam sacellum

in Zuggelen ad honorem S. Crucis consecravit. Ex tom. I historiae eccl. Germaniae lingua Gallica conscriptae pag. 361 videtur fuisse etiam Suffraganeus Constantiensis circa an. 1522. Consule A. Tibus pag. 51-52, Schem. Mon. 1860 pag. 21, nostratem Tombeur Prov. Belg. pag. 49, et Manuale Archidioec. Colon. 1869.

Olmucii (di Olmutz) Aug. Ep. Suff.

Fr. Guilelmus de Colonia, Germanus, Abbas Wlomicensis, Archidiaconus Brunensis, Summi Pontificis Eugenii IV Poenitentiarius, et Sacellanus, Episcopus Nicopolensis et Suffraganeus Olmuciensis ex hac vita migravit an. 1481, Episcopatus sui 40, et Brunae penes nostrates humo mandatus fuit. Consule Herreram tom. I pag. 123, et 300, Elssium pag. 257, et Milensium pag. 4 ubi agit de Andrea Bysman.

Fr. Andreas Bysman, Brunensis, in qua Moraviae urbe an. 1434 ortum habuit, jam S. Theologiae Magister an. 1461 in Gallia theologicas disciplinas, quas Arimini in Italia didicerat, summa cum laude publice profitebatur. Fuit Card. Petri de Fuxo filii Regis Navarrae theologus et familiaris. Anno 1473 Viennae eligitur Provincialis Austriae et Bavariae, quod munus fere decennio exercuit usque ad an. 1482. Intra hoc sui Provincialatus tempus Romam pluries venit ceu Legatus Bohemiae, Moraviae, Austriae, et Bavariae. Ad instantiam DD. Protasii Czernahora Episcopi Olmucii die 7 Julii an. 1482 creatur Episcopus Nicopolensis, et Suffraganeus Olmuciensis. Animam Deo reddidit Brunae an. 1501, aetatis suae 67, et penes nostrates ibidem tumulatus fuit. Annos fere 20 episcopale munus summa cum laude, atque animarum zelo obivit. Vide Herreram tom 1 pag. 40, Elssium pag. 50. et Milensium pag. 4.

Paderbonae (di Paderbona) Aug. Ep. Suff.

Fr. Joannes Iminch, Germanus, an. 1469, die 10 Julii a Paulo II eligitur Episcopus Tephlis in Georgia, et adhuc hanc mortalem vitam degebat an. 1476, quo Episcopi Paderbonensis Suffraganeum agebat. Vide Le Quien tom. 3. col. 1372, Moroni vol. 75 pag. 179, et Herreram vol. I pag. 434.

Pataviae (di Passavia) Aug. Ep. Suff.

Fr. Simon, Germanus, Episcopus Castoriensis in Graecia, et Suffraganeus Episcopi Pataviensis in Germania erexit in claustro coenobii Viennensis sacellum S. Sigismundi cum dote ut quatuor in singulis hebdomadis Missae in eo celebrarentur. Obiit Viennae in Austria die 1 Decembris an. 1390, et apud nostrates ibidem sepulturam accepit. Ex Milensio pag. 283, Torellio tom. 6 pag. 285, et ex libro onerum Missarum S. Augustini de Urbe pag. 534 ubi dicitur Episcopus jam ab anno 1385.

Pragae (di Praga) Aug. Ep. Suff.

Fr. Hermannus Zajù de Hasenburg, Bohemus, filius D. Hinconis Zajù de Hasenburg, et pronepos D. Ulrici de Waldek Insulani ad S. Benignam nostri Ordinis coenobii fundatoris, alumnus fuit praefati Insulani coenobii, ubi Eremitanae familiae nomen dedit circa an. 1315. Ob doctrinae, morumque praestantiam fieri subinde meruit Episcopus Porphyriensis, (hunc titulum tunc temporis DD. Sacristae non obtinebant) et Suffraganeus, simulque vicarius generalis in spiritualibus DD. Joannis IV Drazic, qui fuit postremus Pragae Episcopus; nam post ejus obitum an. 1344 illa Sedes ad Archiepiscopatus hono-

rem sublimata fuit. Suae Augustinianae Religionis Hermannus noster minime oblitus in nostram D. Thomae Apost. Pragensem Ecclesiam multa beneficia contulit, eamque pro quibusdam anni solemnitatibus variarum indulgentiarum privilegio insignivit. Constat illum obiisse Pragae, verum dies obitus ejus ignoratur. Ex manuscripto catalogo nostratum Bohemorum exarato a P. Pachomio Kreybich Aug. pag. 23.

Fr. Hinco Zajù de Hasenburg, nobilis Bohemus, circa an. 1352 erat Prior conventus Insulani ad S. Benignam in Bohemiae provincia. Cum autem praeclara illius merita, ac praesertim morum probitas, doctrinae, atque prudentiae laus Canonicis Metropolitanae Pragensis Ecclesiae innotuissent, Hinconem nostrum in ipsorum coetum cooptatum etiam Capituli Praepositum elegerunt. An. 1372 ad instantiam Imperatoris Caroli IV a Gregorio XI inauguratus fuit Episcopus Ladimiriensis (forsitan Limiriensis in Lycia) et Suffraganeus Pragensis, quo in munere DD. Joanni Ocko Card. et successori ejus Joanni Jenzenstein cum plausu in Archidioecesis regimine sedulam operam praestitit. Tandem dignissimus Praesul, qui omnium sibi benevolentiam atque existimationem suis egregiis dotibus conciliaverat, ex hac lacrymarum valle discessit an. 1388, et apud Augustinenses Pragae die 28 Decembris honorifice tumulatus fuit. Ex Herrera tom. I pag. 342, Elssio pag. 299, Crusenio pag. 161, et ex relatione nostratis P. Adeodati Schutz Bohemiae Prov.

Fr. Hermannus de Eurab, Mindelsheimensis Svevus, vir nobili genere ortus, cum apud Eremitanum Ordinem evasisset S. Theologiae Magister, atque non minus doctrina quam morum probitate eniteret, die 1 Septembris an. 1413 a Joanne XXIII inauguratur Episcopus Nicopolensis, et

Suffraganeus Pragensis. Episcopatus ejus incidit in mala tempora; nam tunc Bohemiam Hussitarum furores, atque tumultus dilacerabant. Neque Hermannus noster episcopalem, prout debuisset, in omnibus fortitudinem ostendit. Ipse enim a quodam Zenkone e Wartemberg Hussitarum assecla captus ac detentus vi ac minis cedens plures haereticos sacerdotio initiavit. Hoc tamen piaculum prout potuit deinde expiare sategit. Nam post hanc infirmitatis potius quam pravitatis culpam patratam Hussitis in posterum semper totis viribus restitit, populumque Pragensem verbo, et exemplo a sequendis haereticorum deliramentis cohibere studuit. Quare Hussitarum rabiem ita in se concitavit, ut ad ipsorum paratas insidias declinandas Praga exulare coactus fuerit. Verum ab insequentibus haereticis apud Pribenicium comprehensus in Luznicium fluvium ab iisdem una cum duobus sacellanis demersus pro fide catholica glorioso certamine vitam finivit die 26 Julii an. 1420. Vide Herreram tom. 1 pag. 342, historiam Praesulum Pragensium a Can. A. Frind editam an. 1873 pag. 312, et Franciscum Palaiky hist. Bohemiae edit. 1851 tom. 3 sectione 2, pag. 173.

Ratisbonae (di Ratisbona) Aug. Ep. Suff.

Fr. Nicolaus Theschel de Bruna dicitur etiam apud nostrates scriptores Nicolaus de Bohemia, qui, ut fere ipsissimis verbis utar Clementis VI in sua Bulla ad illum an. 1344 transmissa, longis temporibus vixit inter infideles in partibus transmarinis causa seminandi evangelicum semen, ac postea ad Europam reversus iterum ad castra cum aliis Augustinianis militibus redivit, accepta prius a laudato Summo Pontifice facultate ubique locorum Eremitani Ordinis coenobia fundandi. Alia item vice cum in Europam remeasset, circa an. 1362 iterum Bavariae Pro-

vincialis eligitur, quo nomine Capitulo generali Vindobonae coacto interfuit. Deinde inauguratus fuit Episcopus Castrensis (in Africa) et Suffraganeus Ratisbonae. Ex hac vita migravit an. 1371, et in Augustiniano Ratisbonensi templo cum sequenti epithaphio tumulatus fuit: Anno Domini 1371 in crastina Annuntiationis obiit Dominus Nicolaus Episcopus Castrensis Fratrum Eremitarum Ordinis S. Augustini. Ex Herrera tom. 2 pag. 187. Elssio pag. 518, Lanteri vol. I pag. 207 ubi Nicolai Episcopatus reticetur, et ex relatione nostratis P. Mag. Pii Keller Bavariae Commissarii.

Fr. Joannes Ludovici, Herbipolensis, alumnus Provinciae Bavariae, anno 1452 erat Florentiae S. Theologiae Lector. Reversus postea in Germaniam evasit Studiorum Regens Vindobonae an. 1461, et Provincialis in sua Bavarica Provincia jam magistralibus infulis redimitus. Cum vir esset ob summam prudentiam atque pietatem omni honore dignus, eapropter a Paulo II die 3 Augusti an. 1465 creatur Episcopus Hierapolis in Phrygia et Suffraganeus Ratisbonensis. Complevit dies peregrinationis suae Ratisbonae an. 1480. Vide Ossinger pag. 521, Hohn pag. 102, 111, 205, et Torellium tom. 4 pag. 739.

Salisburgi (di Salisburgo) Aug. Ep. Suff.

Fr. Paulus de Nostero, Styrius, de quo in parte prima pag. 134 jam mentionem fecimus, ex Episcopo Petinensi (in Istria) circa an. 1418 fit Suffraganeus DD. Archiepiscopi Salisburgensis. Vide Herreram tom. 2 pag. 263, Elssium pag. 554, et Milensium pag. 126.

Secoviae (di Seckau) Aug. Ep.

Fr. Augustinus Muenzmeister, de Brisaco, quae est urbs Archiducatus Badensis, cum esset vir morum integritate, atque doctrinae praestantia spectabilis, anno 1360 electus fuit totius Ordinis Procurator generalis. An. 1371 inauguratur Episcopus Secoviae in Styria, rexitque illam Ecclesiam usque ad an. 1380, quo ex hac vita migravit die 23 Martii. Nominatur ab Herrera tom. I pag. 53, Elssio pag. 91, Hohn pag. 64, et a Gams pag. 311.

Spirae (di Spira) Aug. Ep. Suff.

Fr. Jacobus Pandowitz, Germanus, anno 1310 dum esset Episcopus Suffraganeus Spirae in Bavaria, capitulum, perystilium, et coemeterium nostri Spirensis coenobii consecravit. Ita noster Antonius Hohn in Chronologia Aug. Prov. Rheno-Svevicae edit. 1744 pag. 48. In Gallia Christiana tom. 5 col. 553 dicitur Episcopus Panadiensis (alias Paneadensis in Phaenicia) et Suffraganeus Moguntinus an. 1320. Idipsum astruit Georgius Christianus Joannis in *Rebus Moguntiacis* vol. 2 pag. 425 scribens *Jacobum O. S. Aug. commodo Vestalium* (Monialium) *S. Ruperti prope Bingam quasdam indulgentias largitum fuisse.* Vide etiam Remling tom. I de Episcopis Spirensibus pag. 570.

Fr. Nicolaus Schimer, Germanus, Prior coenobii Augustiniani civitatis Spirensis, S. Theologiae professor, ac strenuus fidei catholicae contra Lutheranos propugnator, vir pietate atque scientia excellens an. 1529 die 7 Aprilis Episcopus Suffraganeus Spirensis inauguratus fuit. Idem Suffraganei munus exercuit etiam in dioecesi Wormatiae. Pro sui sustentatione canonicatum S. Guidonis obtinuit. Cum sedulo, atque fideliter utrique Episcopo in spirituali

administratione suam vicariam operam ad majorem Dei gloriam, et animarum profectum jugiter impendisset, tandem requievit a laboribus suis an. 1541. Vide nostrates Hohn pag. 167, Herreram tom. 2 pag. 189, Elssium pag. 518, et Remling in hist. Ep. Spirensium vol. 2 pag. 251, 273, etc.

Fr. Joannes de Judaeis, in Westphalia ex catholicis parentibus an. 1617 ortus, Coloniae nostrae Augustinianae Religioni nomen dedit. Deinde evasit S. Theologiae Magister, Prior Friburgensis, et an. 1656 Provinciae Rheno-Svevicae clavum obtinuit. In comitiis gen. Romae an. 1661 celebratis electus fuit Germaniae Assistens, et an. 1667 ab Alexandro VII per Breve Apost. in eodem munere confirmatus. Tandem vir omni laude dignus an. 1671 renuntiatur Episcopus Davaliensis (di Daulis) in Graecia, et Suffraganeus Spirensis. Obiit Romae die 17 Novembris an. 1672 ante acceptam episcopalem consecrationem. Vide nostratem Antonium Hohn pag. 280, et Regest. Gen. Hieronymi Valvasorii ad an. 1672 fol. 177 ubi dicitur de Brisaco.

Wormatiae (di Worms) Aug. Ep. Suff.

Fr. Simon, Germanus, an. 1461 erat Episcopus Magiorensis seu Majorensis (di Majuma) in Palaestina, et Reinhardi Sickingen Episcopi Wormatiensis Suffraganeus; nam eodem anno Pius II die 2 Septemb. illi jam Episcopo concessit ut quodcumque ecclesiasticum beneficium obtinere posset. Juxta nostratem Hohn pag. 107 vivebat adhuc an. 1465. Vide etiam Herreram tom. 2 pag. 389, et Elssium pag. 632.

Fr. Anselmus de Politiz. Vide inferius seriem Episcoporum Buduae.

Fr. Augustinus de Bohemia. Vide part. I pag. 73.

Fr. Conradus Snosputger. Vide inferius ubi de Sirmiensibus.

Fr. Henricus de Lippia an. 1389, die 9 Novemb. a Bonifacio IX inauguratus fuit Episcopus Hipponensis in Africa. Vide Herreram tom. I pag. 342, Elssium pag. 280, et Torellium tom. 6 pag. 245.

Fr. Henricus de Wildestein. Vide part. I pag. 175.

Fr. Henricus Wogghersim, alias Woggersheim, alumnus Provinciae Saxonicae, anno 1420 Romae sodalis erat nostratis Congregationis V. Matthaei de Antrodoco, alias de Perusia nuncupatae, ad quam tunc temporis pertinebat coenobium S. Mariae de Populo Urbis. Anno 1435 ab Eugenio IV creatur Archiepiscopus Sebastensis in Armenia. Vide Le Quien tom. 3 col. 1070, Herreram pag. 342, et Elssium pag. 279.

Fr. Henricus de Winter, Germanus, a Bonifacio IX an. 1400, die 24 Novemb. inauguratur Episcopus Caraciensis (di Carasa, o Cerasia) in Lydia sub Metropoli Sardensi. Vide Herreram tom. I pag. 342, et Elssium pag. 277.

Fr. Jacobus de Praga Episcopus Mainensis in Peloponneso, qui a nostrate Torellio dicitur Episcopus Majorensis (di Maxulla in Africa) anno 1274 interfuit Concilio

Lugdunensi, ubi cum alio nostrate Placido Episcopo Andrensi de Graecis triumphavit. Item eodem anno quibusdam indulgentiis nostram Pragensem Ecclesiam ditavit. Vide Torellium tom. 4 pag. 786, Le Quien tom. 3 col. 904, et Moroni vol. 42 pag. 26.

Fr. Joannes Hitalinger de Basilea, vir sui aevi tam divinis quam profanis litteris eruditissimus, non minus doctrinae quam sanctitatis opinione enituit. Fuit Principibus atque Episcopis saepe consiliarius in rebus gravissimis. Inter domum Lotharingicam, et Burgundicam pacem composuit, totumque vitae suae tempus Reipublicae Christianae bono impendit. Cum duabus vicibus provinciam Rheno-Svevicam laudabiliter rexisset, anno 1378 inauguratur Episcopus Labariensis in Hellesponto sub Metropoli Cyticensi (di Cizico), quamvis nonnulli scriptores errato illum putent Episcopum Lavacensem in Hungaria, quae sedes tunc temporis nondum existebat. Hoc juverit hic rite animadvertere; nam plures alii Lavacenses Episcopi penes nostrates scriptores passim nominantur. Obiit meritissimus Praesul Friburgi Brisgoviae, (Baden) non autem Basileae ut alii scripserunt, an. 1389, aetatis suae 70, et in praefata Friburgensi civitate tumulatus fuit apposito sepulcrali lapide, cui insculpta fuit illius effigies episcopalibus insignibus distincta. Vide Hohn pag. 68, Gratianum pag 106, Ossinger pag. 440, et Lanteri vol. I pag. 373, ubi scripsisse dicitur commentaria in libros Sententiarum; ast illius Episcopatus reticetur.

Fr. Joannes Schedeler. Vide inferius ubi agitur de Ep Buduensibus.

Fr. Joannes de Saxonia die 9 Januarii an. 1449 electus fuit Episcopus Badanensis, (Buduensis) et eodem

anno a Gen. Gratiano Fulginate illi conceditur in socium, et sacellanum P. Fr. Andreas Rochen de Eimleck, quod est oppidum Regni Hannoverani. Vid. Herrer. tom. 1 pag. 439, et Torellium tom. 7 pag. 511.

Fr. Ladislaus Sbrovolki erat an. 1313 Episcopus Labariensis cujus Sedis titulo aliquot alii nostrates insigniti fuerunt. Vide Herreram tom. 2 pag. 13, et Torellium tom. 5 pag. 334.

Fr. Ludovicus, Germanus, Ord. S. Aug. Episcopus Marronensis (di Marronea) in Thracia, an. 1313 die 10 Aprilis quasdam Indulgentias concessit fidelibus orantibus ante quamdam Crucem sitam in coemeterio Augustiniani conventus Erfurtensis. Ex authentico exemplari transumpto ex Archivio praefati coenobii, et Romam transmisso. Extat ad calcem Regest. Gen. Rotellii meis ibidem manibus repositum.

Fr. Matthaeus de Franchemberg, Germanus, anno 1391 a Bonifacio IX inauguratus fuit Episcopus Ascalonensis in Palaestina. Vide Herreram tom. 2 pag. 75, Elssium pag. 477, et Hohn pag. 71.

Fr. Nicolaus Creucher. Vide part. I pag. 135.

Fr. Nicolaus de Frusten. Vide inferius ubi de Episcopis Illyrici.

Fr. Nicolaus Bohemus Episcopus Sanctae Mariae Selanensis (forsitan Selenensis in Isauria) an. 1345 consecravit altare D. Joannis Baptistae in nostra Pragensi S. Thomae Ecclesia. Vide Herreram tom. 2 pag. 184, et Torellium tom. 5 pag. 569.

Fr. Thomas Winter. Vide ubi de Ep. Seniae.

GRAECIA CUM SUIS INSULIS, ET CRETA CUM CYPRO

Coenobia Ord. Erem. S. P.ˢ Augustini olim in illis regionibus extantia provinciam constituebant Terrae Sanctae, sic nuncupatam eo quia, uti scribit noster Augustinus Lubin, etiam in Palaestina aliquando conventus possedisse credatur. Haec ipsa provincia eamdem sortem subiit, quam Venetorum dominatio, idest repetitis falcarii Turcici ensis ictibus tandem cedens penitus extincta fuit.

Fr. Augustinus anno 1363 erat Episcopus Salobriensis, alias Selibrensis (di Selivrea) in Thracia, et Suffraganeus Tridentinus. Consecravit Tridenti nostram S. Marci ecclesiam. Vide Herreram tom. I pag. 38, et tom. 2 pag. 475, Elssium pag. 97, et Torellium tom. 6 pag. 69.

Fr. Augustinus de Magdalena Argolicensis Ecclesiae (di Argos) episcopales infulas obtinuit anno 1479, tenuitque usque ad 1502. Vide le Quien tom. I col. 902, et Herreram tom. I pag. 41.

Fr. Blasius anno 1389 erat Episcopus Cephaloniae (di Cefalonia) in mari Jonio, et vivebat adhuc anno 1391. Videtur idem esse ac Blasius qui a Torellio ad annum 1388 dicitur Episcopus Capudacquensis. V. Le Quien. tom. 3 col. 891, Herreram tom. I pag. 106, et Gams pag. 399.

Fr. Emericus anno 1391 decorabatur infula episcopali Camachae (di Camaches) in Patriarchatu Constantinop. V. Le Quien tom. 3 col. 1109, et Gams pag. 432.

Fr. Gregorius anno 1389 erat Episcopus Cithoniae (di Citonia) in mari Aegaeo. V. Le Quien tom. 3 col. 872, et Gams pag. 431.

Fr. Gregorius de Corsanego, Graecus, alias de Pera nuncupatus, anno 1437 erat Episcopus Trapezi (di Trebisonda) in Armenia. Vide Le Quien tom. 3, col. 1100, Herreram tom. I pag. 297, et Moroni vol. 79, pag. 205, ubi errato illum putat Ordinis Priorem Generalem.

Fr. Guilelmus Capellerii a Martino V die 30 Augusti an. 1426 accepit Episcopatum Nizeriae (di Nizeria) in Patriarchatu Constantinop. V. Le Quien tom. 3 col. 1054, et Moroni vol. 48 pag. 46.

Fr. Joannes anno 1390 decorabatur titulo episcopali Salonae (di Salona) in Asdoride vulgo Livadia. V. Le Quien tom. 3 col. 874, et Moroni vol. 60 pag. 298,

Fr. Joannes anno 1402, die 18 Januarii obtinuit Episcopatum Naturae in Patriarchatu Constantinop. V. Le Quien. vol. 3. col. 1134, et Gams pag. 432.

Fr. Joannes Valente cum ex Pontificia dispensatione esset parochus S. Laurentii de Lidiard dioecesis Bathensis et Wellensis in Anglia an. 1459 die 9 Julii episcopali infula Ecclesiae Tinensis (di Tino) in mari Aegaeo ornatus fuit. Vide Herr. tom. I pag. 433, et Elss. pag. 404.

Fr. Laurentius Alphonsi, Lusitanus, patria Conimbricensis, S. Theologiae Mag. et Provincialis, ob suam doctrinam ac virtutem an. 1410 die 9 Julii a Joanne XXIII inauguratus fuit Episcopus Megarae (di Megara) in provincia Atheniensi. V. Le Quien tom. 3 col. 852, Cajetanum de Sousa de Episcopis Lusit. extra Dominium Lusitanum pag. 178, et Herreram tom. 2 pag. 13.

Fr. Nicolaus anno 1518 die 19 Feb. inauguratus fuit

Episcopus Veriensis (di Veria) in Macedonia. V. Herreram tom. 2 pag. 189, et Torellium tom. 8 pag. 50.

Fr. Raymundus die 18 Januarii an. 1425 inauguratur Episcopus Aenensis (di Eno) in Thracia. V. Torellium tom. 7 pag. 559, et Herreram tom. 2 pag. 340.

Fr. Theodoricus de Indagine anno 1367 die 2 Apr. ab Urbano V inauguratur Ruthenorum Episcopus. V. Le Quien tom. 3 col. 1138, Herreram tom. 2. pag. 448, et Torellium tom. 6 pag. 90.

Fr. Thomas Visconti de Berlasina inter Comum et Mediolanum circa an. 1388 aliunde quam per ostium ascendit ad Placentinum et Brixiensem Episcopatum. Deinde a S. Sede venia obtenta translatus fuit Cremonam die 1 Feb. 1390, unde Brixiam rediit an. 1396. Nec tamen ibidem usque ad obitum sedit; nam anno insequenti Brixiensem cathedram cum Aeginensi (di Egina) in provincia Atheniensi commutavit. V. Torellium tom. 6 pag. 232, Herreram tom. 2 pag. 449, et Gams pag. 431, ubi siletur Thomae Aug. professio.

CRETAE AUG. EPISCOPI

Fr. Andreas de Firmo Episc. Archadiae (di Arcadia) V. part. 1 pag. 244.

Fr. Gerardus anno 1364 die 8 Nov. ab Urbano V inauguratur Episcopus Agrii (di Agria) in Creta insula. Prius electus fuerat ab Urso Archiepiscopo Candiae, quam tamen electionem praefatus Summus Pontifex irritam, nullamque declaravit. Cum autem nostratis Gerardi virtutem perspectam haberet, illum postea eidem Ecclesiae auctoritate

apostolica praefecit. Illius immediatus successor habetur ad an. 1384. Vide Le Quien tom. 3 col. 931, Herreram tom. I pag. 294, et Cretam Sacram part. 3 pag. 169.

Fr. Aicardus ab Urbano V renuntiatur Episcopus Cissami (di Cissamia) in Creta die 8 Junii an 1375. V. Le Quien tom. 3 col. 929, Herreram tom. I pag. 38, et Cretam Sacram Flaminii Cornelii part. 3 pag. 128.

Fr. Martinus de Asculo Episc. Cissami. Vide part. 1 pag. 246.

Fr. Matthaeus de Rethimo in Creta a Bonifacio IX an. 1403 die 3 Junii ad Episcopatum Sithiae (di Sitia) in eadem insula promovetur. Vide Cretam Sacram part. 3 pag. 124, Herreram tom. 2 pag. 76, et Le Quien tom. 3 col. 919.

CYPRI AUG. EPISCOPI

Fr. Guilelmus Gonem, quem alii dicunt Guinemeum, de Cypro, S. Theologiae Lector, anno 1454 erat Provincialis Terrae Sanctae, et postea eamdem Provinciam Vicarii generalis nomine gubernavit. A Paulo II anno sui Pontificatus III fit administrator in temporalibus Ecclesiae Nicosiensis in Cypro, ac deinde anno 1467 die 16 Maji eligitur Archiepiscopus ejusdem civitatis. Eodem tempore Rm̃us P. Mag. Generalis illi curam concessit, et administrationem coenobiorum praefatae Provinciae quia fuit (ita Ord. Reg.) nostrae Religionis professus, aliasque dum in Ordine extitit illorum conventuum regimen habuit. Fuerat Joannis III Cypri Regis confessarius. Obiit mense Sept. an. 1473. Vide Her. tom. I pag. 298, Els. pag. 264, et Le Quien tom. 3 col. 1213.

Fr. Guilelmus anno 1472 erat Episcopus Paphi (di Pafo) in Cypro, obiitque an. 1473. Vide Herreram tom. I pag. 299, Le Quien tom. 3. col. 1218, et Gams pag. 438.

ILLYRICUM

Augustiniani Instituti coenobia in Illyria olim extantia pertinebant ad Provincias Venetiarum, Hungariae, et Congregationem Dalmatiae. Quae omnia sortem subierunt, quae per Joelem prophetam cap. I de Judaeorum regno descripta fuit. Nam residuum erucae (Turcarum tyrannidis) comedit locusta (Respubblica Veneta), residuum locustae comedit bruchus (Josephismus) et residuum bruchi comedit rubigo (Gallica excursio.) Papae quot malae bestiae ad corrodenda ossa coenobitarum!

Agriae (di Erlau) Aug. Ep. Suff.

Fr. Petrus de Alba Regali, Hungarus, Episcopus Nicopolensis in provincia Naupacti a Bonifacio IX die 28 Nov. an. 1390 inauguratus fuit ut Suffraganeum ageret Episcopi Agriensis in Hungaria. Hanc ipsam Ecclesiam circa an. 1400 suo viduatam pastore aliquandiu suo nomine non absque laude moderatus fuit. Multum laboraverat pro componenda lite, quae intercesserat inter Joannem de Kanisa Archiepiscopum Strigoniensem, et Episcopum suum super jurisdictione in Praeposituram de Lelesz. Vide nostratem Martinum Rosnak pag. 14, Le Quien tom. 3 col. 999, et Elssium pag. 563.

Buduae (di Budoa) Aug. Ep.

Fr. Anselmus de Politz, Germanus anno, 1285 successit nostrati Incelerio in Episcopatu non quidem ***Budensi*** in

Hungaria, sed Buduensi in Dalmatia. Quare corrigi debet liber noster *Postrema saecula* etc. vol. I pag. 202 ubi dicitur fuisse Episcopus Budensis in Hungaria. Hic annos amplius triginta, ait Elssius, suam rexit Ecclesiam, *multorum millium catholicorum conservatione,* atque ordini nostro monasteria, et parochias 57 adjunxit. Terrenae luci oculos clausit an. 1315. Nominatur etiam a Farlato tom. 7 pag. 213, et ab Herrera tom. I pag. 424.

Fr. Seraphinus Antonii anno 1392 per obitum Ladislai a Bonifacio IX instituitur Episcopus Buduensis. De illo mentionem faciunt Herrera tom. 2 pag. 589, Elssius pag. 122, et Torellius tom. 6 pag. 311.

Fr. Joannes Schedeler, alias Vaginatorius, Germanus, Prior conventus Quedlimburgi in Saxonia an. 1438 ab Eugenio IV eligitur Episcopus Buduensis. Vide Herreram tom. I pag. 431, Elssium pag. 399, Torellium tom. 6 pag. 692, et Hohn pag. 90.

Corbaviae (di Corbavia) Aug. Ep.

Fr. Stephanus Massutius de Firmo in Piceno die 19 Junii anno 1401 inauguratus fuit Episcopus Corbaviae in Dalmatia. Idem est ac Fr. Stephanus de Firmo, quem part. I pag. 247 inter Episcopos *in partibus infid.* errato recensuimus, in hujusmodi errorem lapsi amanuensium, vel typographorum incuria, nam apud Herreram tom. 2 pag. 389 pro Corbaviensi dicitur *Corbanensis.* Ignotus Farlato, qui tamen saltem implicite in serie Episcoporum Corbaviensium nostratem Stephanum recensere videtur tom. 4 pag. 99 edit. Venet. 1769 hisce verbis: Nicolao vel mortuo, vel ad aliam ecclesiam translato *nisi quis alius interjectus sit,* proxime successit Geminianus. Scilicet inter

Nicolaum electum Ep. Corbaviensem an. 1388, et Geminianum inauguratum an. 1410 interjectus fuit noster Stephanus creatus Episcopus an. 1401. Nominatur etiam ab Herrera tom. 2 pag. 389, et a Torellio tom. 6 pag. 382.

Drivasti (di Drivasto) Aug. Ep.

Fr. Nicolaus a Joanne XXII die 28 Feb. an. 1323 Avenione eligitur Episcopus Drivasti in Illyrico, et consecrationem accepit a Berengario Episcopo Portuensi. Paullo post anno scilicet 1324 die 17 Decembris translatus fuit ad Ecclesiam Argolicensem. Ex Farlato tom. 7 pag. 236, et Gams pag. 406.

Lesinae (di Lesina) Aug. Ep.

Fr. Matthaeus de Bucilano anno 1392 electus fuit Episcopus Lesinae in Dalmatia. Ignotus P. Bonifacio Gams, qui putat illam sedem eo tempore vacasse. Vide Herreram tom. 2 pag. 75, et Torellium tom. 6 pag. 311, n. 7.

Milkoviae (di Milkovia) Aug. Ep.

Fr. Thomas de Nympti, Hungarus, S. Theol. Lector, vir probitate ac scientia spectabilis, qui etiam a rerum agendarum dexteritate commendabatur, a Clemente VI Avenione die 29 Martii an. 1347 ad instantiam Ludovici Regis, et Elisabeth Reginae creatur Episcopus Milkoviae in Hungaria. Vide Theiner vol. I. Mon. Hung. pag. 737, et Gams pag. 383.

Nandoralbae (di Belgrado) Aug. Ep.

Fr. Nicolaus de Frusten, Germanus, an. 1366 die 8 Junii ab Urbano V creatur Episcopus Nandoralbensis

in Pannonia inferiori per obitum Joannis. Ignotus Gams, qui pag. 396 in serie Episcoporum Nandoralbensium ab an. 1347 transilit ad an. 1410. Vide Herreram tom. 2 pag. 184, et Torellium tom. 6 pag. 82

Nonae (di Nona) Aug. Ep.

Fr. Joannes creatur Episcopus Nonae in Dalmatia anno 1388. Una cum Nicolao Episcopo Corbaviensi an. 1393 electus fuit arbiter ad pacem conciliandam inter Banum Joannem Comitem Seniae, et Municipium Jaderensium. Vixisse videtur usque ad an. 1400. Vide Farlatum tom. 4 pag. 221 ubi siletur Joannis Augustiniana professio, Herreram tom. I pag. 427, et Torellium tom. 6 pag. 318.

Fr. Ludovicus Prior S. Mariae de Venetiis (quod erat coenobium Ord. Erem. S. P. Augustini) anno 1424 die 13 Octobris a Martino V Ecclesiae Episcopali Nonensi in Dalmatia praeficitur. Sedit usque ad an. 1440. Vide Farlatum tom. 4 pag. 222, et Gams pag. 411.

Pulati (di Polati) Aug. Ep.

Fr. Matthaeus de Nursia vir doctrina ac morum integritate clarus anno 1376 die 27 Augusti a Gregorio XI tunc Avenione degenti per obitum Laurentii inauguratus fuit Episcopus Pulati in Albania. Illius immediatus successor non constat nisi an. 1421. Vide Theiner Mon. Slavorum pag. 317, et Gams pag. 416.

Rosoni alias Rhizoni (di Rhizon) Aug. Ep.

Fr. Ambrosius Brandao, Portuensis, (Lusitanus) in actibus consistorialibus ad diem 23 Dec. 1520 dicitur

Ulyssiponensis, et Episcopus Rosonensis in Albania. Erat in Lusitania Decanus Capellae Regiae, et Suffraganeus Alphonsi Card. et Praesulis Ulyssiponensis Emmanuelis Regis filii. Fuit etiam Prior Provincialis, et ultimus Commendatarius Ord. S. Antonii in Regno Lusitano, necnon Prior Commendatarius monasterii S. Mariae de Corquera tunc Canonicorum Regularium in quo plures annos vixit. Hinc apud aliquot scriptores exorta est suspicio illum fuisse e Canonicorum coetu. Obiit valde senex die 15 Jan. 1559. V. Herreram tom. I pag. 45, Elssium pag. 43, Gams pag. 415, et Cajetanum de Sousa pag. 109 de Praelatis Lusitanis extra Lusitanorum dominium.

Seniae (di Segna) Aug. Ep.

Fr. Joannes anno 1333 a Joanne XXII praeficitur Episcopatui Seniae in Croatia, et Romae consecratur. Cum autem Senienses illum recipere noluissent, Benedictus XII Joannis XXII successor anno 1337 mandavit ut intruso Episcopo destituto Joannes in suam Sedem admitteretur. De hoc ita scribit Moroni vol. 63 pag. 207: Giovanni Agostiniano dottissimo nominato nel 1333 da Giovanni XXII. Ma il Capitolo creò Bernardo Abbate Benedittino ed i Frangipani lo sostennero ad onta che il Papa non volle riconoscerlo. Benedetto XII però rimosso l'intruso fece accettare Giovanni. Anno 1348 die 30 Maji Spalatum translatus fuit. In hac Sede illius immediatus successor habetur an. 1349. Vide Farlatum tom. 4 pag. 121, et Gams pag. 389.

Fr. Thomas Winter, Germanus, an. 1411 die 27 Aug. a Joanne XXIII ad Seniensem Episcopatum evectus fuit. Illius immediatus successor habetur an. 1419. Vide Farlatum tom. 4 pag. 124, Gams pag. 689, et Torellium tom. 6 pag. 349.

Fr. Nicolaus Ambrosiades, Fluminensis, S. Theolog. Lector, summus orator, ac insignis theologus, ad oras adriaticas per omnia oppida celebratus, ob praeclara merita ad Episcopatum Scniensem designatus fuit an. 1570; verum ante acceptam mitram ad meliorem vitam transivit. V. Farlatum tom. 4 pag. 136 ubi siletur Nicolai Augustiniana professio, Herreram tom. 2 pag. 189, et Elssium pag. 501.

Fr. Joannes Baptista Agalich, Fluminensis, postquam gessisset prioratum Fluminensem, Furstenfeldensem, ac Graecensem, atque postquam totam Hungariae provinciam laudabiliter rexisset, an. 1617 die 17 Julii inauguratur Episcopus Seniensis, et consecratur Graecii eodem anno in festo D. Thomae Apostoli. An. 1624 Briberii synodum celebravit, in qua disciplinam ecclesiasticam instauravit, christianae plebis mores correxit, divinum cultum promovit et auxit, librosque liturgicos ritus slavonici emendavit, emendatosque recudendos statuit. Rexit suam dioecesim magno cum zelo usque ad an. 1649, quo episcopalis muneris onus una cum mortalis vitae sarcina deposuit. Tumulatus fuit in Ecclesia FF. Minorum Reformatorum Tersacti cum sequenti epitaphio: Fr. Joannes Baptista Agalich Fluminensis, sacrae Religionis Augustinianae alumnus, Episcopus Segniensis, hunc locum usque ad novissimum tubae sonitum adhuc vivens sibi elegit, cujus anima sit reposita in fasciculo viventium. Obiit die XXX Octobris an. 1640. Vide Martinum Rosnak pag. 16, Herreram tom. I pag. 444, Moroni vol. 63 pag. 207, et Gams pag. 389.

Sirmii (di Sirmio) Aug. Ep.

Fr. Thomas Benedicti a Clemente VI anno 1349 electus fuit Episcopus Sirmii in Pannonia inferiori. Hanc

mortalem vitam una cum episcopali cathedra reliquit anno 1360. Vide Farlatum tom. 7 pag. 552, et Gams pag. 378.

Fr. Conradus Snosputger, Ratisbonensis, anno 1433, die 27 Julii ad Sirmiensem Episcopatum promotus fuit. Uno tantum rexit anno. Vide Farlatum tom. 7 pag. 553, et Gams pag. 379.

Stagni (di Stagno) Aug. Ep.

Fr. Nicolaus Menzi, Ragusinus, ex patritia familia ortus, anno 1416 accepit Episcopatum Stagnensem in Dalmatia. Eodem tempore fuit Episcopus administrator Ecclesiae Corcyrensis ita ut simul regeret dioecesim Stagnensem sub dominatu Ragusinensium, et Concyrensem (di Curzola) sub ditione Venetorum, qui praesertim illius hortatu et opera Corcyrensium deditionem adepti sunt. Illius Praesulatus tempore Ragusini aedem cathedralem S. Blasii aedificarunt, Inter caetera bene gesta synodum Corcyrae coegit ad corrigendos corruptos plebis mores, ad Clericos ab omni negotiatione absterrendos, eosque ad veterem Cleri disciplinam sobrietatem et sanctimoniam revocandos. Vixisse videtur usque ad an. 1425. Vide Farlatum tom 6 pag. 337, et 376, atque Gams pag. 405.

Fr. Andreas Canavella, nobilis Corcyrensis, anno 1450 electus fuit Episcopus Stagnensis et Corcyrensis (Corcyrae Nigrae vulgo di Curzola) in Dalmatia. Dicitur vir fuisse magno animo, ac solerti ingenio praeditus, impiger, laboriosus, omnisque episcopalis officii diligentissimus, aequitatis, atque justitiae strenuissimus vindex, necnon in juris canonici scientia summopere versatus. Dissensiones atque discordias composuit, quae cum magna publicae tranquillitatis perturbatione inter Clerum populumque Cor-

cyrensem exardebant, Ecclesiae Cathedralis tectum suis sumptibus refecit, in eaque pulpitum opere ornatuque praeclarum elaborandum curavit, aramque D. Jacobo pulchram atque venustam suo aere erexit. Eremitani Ordinis amantissimus fortiter restitit ne Corcyrense coenobium ad Canonicos Regulares transiret, quamvis plurimorum Optimatum Canonicis faventium conatus superare nequiverit. Laudandus tamen quia suo officio non defuit, et quia Religionis matris suae jura quoad potuit constanter sustinuit. Hanc mortalem vitam cum immortali commutavit Corcyrae die I Martii anno 1453. Vide Farlatum tom. 6 pag. 378, et 380, necnon Gams pag. 405.

Tiniae (di Knin) Aug. Ep.

Fr. Marcus de Terra Fluminis, Hungarus, S. Theologiae Lector, alumnus provinciae Bavaricae die 11 Martii anno 1460 a Pio II ad instantiam Regis Matthiae inauguratus fuit Episcopus Seniae in Croatia. Deinde a Paulo II an. 1464 translatus fuit ad Episcopatum Tiniae in Dalmatia. Ab eodem Rege Matthia Corvino an. 1465 ad praefatum Paulum II Legatus tum propter subsidia contra Turcas a Pontifice petenda, tum propter Cardinalatum DD. Stephano de Varda Archiepiscopo Colociensi (di Colocza) expostulandum Romam missus plene Regi satisfecit. Alia antea regia ad Pium II legatione, an. scilicet 1464 pro B. Margaritae Regis Belae IV filiae canonizatione nobilitatus fuerat. Verum praefato Summo Pontifice eodem anno Anconae die 16 Augusti vita functo, res ad optatum exitum non pervenit. Videtur ex hac vita migrasse Marcus noster anno 1468. Dicitur fuisse vir doctrinae ac probitatis fama conspicuus. Vide nostrates Martinum Rosnak de prov. Hungariae pag. 16, Herreram tom. 2 pag. 76, et Elssium pag. 454, quibus accedunt Pray tom. 4 pag. 23,

et Farlatus tom. 4 pag. 129. Pius Bonifacius Gams pag. 389 Marcum nostrum errato Franciscanis attribuit.

HUNGARI AUG. EP. EXTRA HUNGARIAM

Fr. Benedictus de Quinque Ecclesiis an. 1395 die 29 Novembris renuntiatur Episcopus Sydoniensis in Phaenicia. Vide nostrates Rosnak pag. 14, et Herreram tom. I pag. 106.

Fr. Joannes de Quinque Ecclesiis die 5 Junii an. 1392 inauguratur Episcopus Labariensis sive Libariensis in provincia Cyticensi in Hellesponto. Vide le Quien tom. 3 col. 943, Herreram tom I pag. 427, et Moroni vol. 38 pag. 170.

HISPANIA

Iberica peninsula, quae jure meritoque vocari potest coenobitarum seminarium, unde praecipui prodierunt sancti Ordinum religiosorum fundatores, quatuor florentissimas habebat Augustiniani Instituti provincias cum coenobiis circiter 150 absque iis quae ad Lusitaniam pertinebant. Quae omnia coenobia partim anno 1809 sub regimine Gallorum, partim autem an. 1820 tumultuantibus pullatis hominibus (vulgo descamisados, sive indusio carentibus) reliqua tandem anno 1836 tempore Regentis Mariae Christinae insatiabilis Liberalium fames penitus devoravit. Remansit Ordini nostro tantummodo Vallisoletanum collegium pro instituendis nostratibus alumnis ad Philippinas insulas mittendis, quod cum illius remotissimae provinciae necessitatibus minime sufficeret, paucis abhinc annis Isabellae II gubernium Augustinensibus Philippinis permisit ut alterum in quocumque peninsulae loco collegium habere possent,

prout revera in praesentiarum habent amplum aeque ac magnificum in dioecesi Uxamensi sub titulo S. Mariae de Vite.

Accitanae Coloniae (di Guadix) Aug. Ep.

Fr. Bernardinus Rodriguez de Arriaga Salmanticensis vir fuit ingenii acumine excellens, scientiarum addiscendarum cupiditate flagrans, atque in libris pervolutandis indefessus, quare inter condiscipulos nulli unquam se ostendit secundum. In celeberrima Salmanticensi Universitate doctoratus insignia anno 1620 obtinuit, in eaque postea publicum cum Theologiae, tum S. Scripturae professorem plures annos cum plausu egit. Duabus vicibus, nempe an. 1627, et 1641 Castellae provincialis renuntiatus fuit. Illius morum probitas ac doctrina Philippo IV Regi innotuit, qui propterea illum an. 1633 ad Cajetanam Episcopalem Sedem in Regno Neap. Summo Pontifici praesentavit, quem tamen honorem Bernardinus noster declinavit. Verum an. 1648 acceptavit Archiepiscopatum Montis Regalis in Sicilia, cujus tamen Sedis possessionem numquam adivit; nam insequenti anno 1649 die 16 Maji ad Accitanum in Regno Granatensi Episcopatum translatus fuit. Commendant scriptores in eximio Praesule etiam perinsignem pietatem, peculiarem animarum zelum, effusam in pauperes liberalitatem, raram modestiam, atque singularem recessus amorem. Cum sacrae visitationis causa suam dioecesim perlustraret, bonus pastor die 4 Dec. an. 1651 cum magna virtutum suarum significatione ad meliorem vitam transivit in oppido vulgo Beas nuncupato, unde ad cathedrale templum illius exuviae asportatae ibidem tumulatae fuerunt. Vide nostrates Herreram tom. I pag. 108, Elssium pag. 124, Emm. Vidal de coenobio Salmanticensi, et Bonifacium Pium Gams in serie Episcoporum Ecclesiae Catholicae pag. 4.

Fr. Iosephus Lainez, Matritensis, vir fuit multa doctrina ornatus, atque celeberrimus suae aetatis verbi Dei praeco, ut illius opera typis edita testantur. Eremitanum Ordinem apud nostrates Discalceatos amplexus fuerat, penes quos annis 22 Compluti, et Salmanticae suae Congregationis alumnos cum plausu S. Theologiam docuit. Portentosae memoriae profundam cum politicarum, tum moralium rerum scientiam adjungebat. Cum aliquando Valentiae concionandi causa moraretur, regulari observantia illius coenobii illectus ad Calceatos transivit. Deinde a Philippo IV an. 1635 regius concionator electus fuit, et 1642 ad Ecclesiam Solsonensem praesentatus, unde an. 1653 die 17 Augusti ad Accitanum Episcopatum transfertur. A Clemente IX qui cum in Hispania Apostolicum Nuncium ageret, coram illum agnoverat, Pontificii Eleemosynarii titulo nobilitatus fuit. Augustinianae professionis numquam oblitus in urbe suae dioecesis vulgo *Baza* ecclesiam, atque partem coenobii S. P. Aug. suis sumptibus aedificavit. A nostrate Ossinger pag. 490 dicitur: vir ingenii praestantis, divinarum rerum studiosissimus, in S. Scriptura optime versatus, necnon in omni disciplinarum genere clarus. Pie obiit valde senex die 13 Octobris an. 1667. Laudatur etiam a Nicolao Antonio Hispalensi, tom. I pag. 619, ab Herrera tom. I pag. 445, a Gams pag. 4, et a Lanteri vol. 3 pag. 168, ubi eximii Praesulis scripta recensentur.

Fr. Marcus Cabelo y Lopez ex parentibus pauperibus Cordubae posthumus natus est anno 1750. Pueritiam vix egressus saepe a matre rogatus cui arti addiscendae animum addere vellet, constanter puerili simplicitate respondebat illud se vitae genus praeoptare, quo sibi liceret Missas celebrare. Ex quo ingenuo filii responso illico agnovit pia mater ad statum ecclesiasticum a Deo suum Marcum vocari; quamobrem omni studio sategit, cujusdam praesertim be-

nevoli consanguinei subsidiis adjuta ut illum in D. Catharinae collegio latinis litteris operam dantem alere posset. Deinde opera praecipue nostratis P. Mag. Francisci Carmona, qui adolescentis optimam indolem, ac praecellens ingenium optime noverat, in Cordubensi coenobio Eremitanae Familiae nomen dedit; ac post solemnia juxta morem vota nuncupata in studiis cum philosophicis tum theologicis tam mirum profectum fecit ut inter celebriores suae aetatis philosophos, atque theologos in sua Hispania recenseri promeruerit. Tanta praeterea morum, nedum integritate, verum etiam severitate enituit ut eo praesente nemo aliquid non inquam minus rectum, sed ne minus quidem grave, vel congruum loqui aut facere auderet. Potissimam autem laudem sibi vindicat singularis illius modestia atque humilitas, qua ab omni omnino honore ac dignitate non quidem ficte, sed veraciter abhorrebat. Quare nonnisi invitus ac reluctans, necnon religiosae obedientiae virtute coactus Cordubensis coenobii Prioratum an. 1793 admisit, quod munus sex integros annos laudabiliter gessit. Tam egregiae nostratis Marci cum animi tum cordis dotes ac virtutes sub coenobitici recessus modio diutius latere non poterant; quocirca ad instantiam Caroli IV Regis a Pio VII die 28 Decembris an. 1804 ad Accitanum Episcopatum sublimatus fuit. Ut quisque ex praemissis facile conjicere potest, Marcus noster pastoralis officii onus et honorem declinare cupiebat, verum Superiorum jussionibus atque amicorum precibus tandem morem gerens aegro animo episcopali sarcinae humeros subjecit. Solemnem consecrationem accepit Gienni die 2 Junii an. 1805 per manus nostratis DD. Didaci Melo de Portugal ejusdem civitatis Antistitis. Factus Episcopus coenobiticae vitae rationem oblivisci numquam potuit. Eadem illi in Episcopatu quae in coenobio humilitas eadem orandi frequentia, idem recessus ac solitudinis amor eadem mensae frugalitas, eadem vestium modestia, idemque

ornatus contemptus; solummodo non idem, sed major salutis animarum zelus, atque majoris Dei gloriae studium ferventius. Rhedae usum numquam admittere voluit, ac reponentibus amicis id fieri et esse contra caeterorum Episcoporum morem, incunctanter respondit: *Decere quidem caeteros Episcopos rhedae usum; non autem Episcopum Marcum pauperculum natum, in paupertate educatum, atque religiosam paupertatem votorum sacramentis amplexatum.* Quippe qui plurima erga proximum charitate flagrabat, praedicationis officium libenter suscepit, atque jugiter sive in variis suae dioecesis Ecclesiis sacrae visitationis tempore sive in cathedrali ea spiritus ostensione, atque spiritualis balsami unctione concionabatur ut auditorum corda usque ad lacrymarum effusionem compungeret atque emolliret. Sibi admodum parcus omnes episcopalis mensae proventus vel ad Ecclesiarum decorem promovendum, vel ad egenorum inopiam sublevandam singulari liberalitate impendebat. Invictae patientiae luculenta exempla tunc maxime praebuit cum an. 1808 Gallorum militum insectationem declinandi causa Gibaltrariam sub Anglici vexilli praesidium se recipere coactus fuit, et cum paralysi toto corpore correptus uno cum dimidio ante obitum anno hujusmodi infirmitatis, prae qua nonnisi aliorum auxilio moveri poterat, incommoda atque molestias incredibili voluntati Dei conformatione sustinuit. Tandem justorum mortem oppetiit Gaudicii die 6 Septemb. an. 1819, aetatis suae 68 cum mensibus quatuor. Ex relatione nostratis P. Thyrsi Lopez, ex annuariis pontificiis, et ex Gams pag. 4.

Almeriae (di Almeria) Aug. Ep.

Fr. Franciscus Sarmiento y Luna de Comitibus Salvatierra patrem habuit D. Didacum de Sotomayor, et matrem D. Heleonoram de Luna, a quibus ad normam

christianae pietatis, atque juxta natalium splendorem omni studio educatus fuit. Nobilis ephebus Dei gratia praeventus nostrum Eremitanum Ordinem die 10 Feb. an. 1639 ingreditur, ibique tum jugi religiosarum virtutum exercitio, tum magno in scientiis profectu se omnibus spectabilem reddidit. Commendatur potissimum illius indolis comitas, morum suavitas, affabilitas cum sincera humilitate conjuncta, necnon impensus erga Augustinianam Religionem zelus. Cum insignis evasisset verbi Deo praeco, an. 1650 concionatoris regii titulum honoremque obtinuit. Neque intra Ordinem dignitatibus caruit; nam fuit Salmanticensis coenobii Prior, et nostratis celebris Matritensis Collegii rector. an. 1668 ad Caroli II Regis instantiam eligitur Episcopus Mechoacanensis in Mexicana provincia, statimque ad suam Sedem navigavit, ubi episcopalem consecrationem accepit An. 1670. Brevi quo illam ecclesiam administravit tempore vigilantis pastoris munia sedulo adimplevit, ingentem animarum zelum ostendens praesertim cum sacrae visitationis causa suam dioecesim peragraret. Die 25 Septemb. 1673 Almeriam in Hispaniam translatus, ex America discedens quidquid argenti et auri illic acquisierat, totum ecclesiae cathedrali donavit, pervenitque in Hispaniam ita pauper ut pro sua sustentatione propinquorum subsidiis indiguerit. Videtur autem numquam, aut parum temporis in Almeriensi cathedra sedisse; nam post reversionem integrum annum Matriti moratus fuit, et an. 1675 pro Almeriensi Cauriensem (di Coria) Episcopatum obtinuit. Ibidem magis magisque sui pastoralis zeli virtus emicuit; nam ecclesiasticam libertatem acerrime sustinuit, nec ullam clericorum causam ad civilia tribunalia deferri permisit, ecclesiasticorum mores ad meliorem frugem reduxit, totamque dioecesim sacra visitatione lustravit, in ea quoque salebrosa loca profectus, quorum incolae ab annis quinquaginta Episcoporum adventum non viderant, atque ubique eam eleemosynarum

copiam profudit, ut instar nostratis D. Thomae a Villanova pater pauperum meruerit appellari. Sedit usque ad an 1683, quo in oppido Hoyos die 21 Julii hanc mortalem vitam finivit. In sua cathedrali ecclesia tumulatus fuit. Ex nostrate Emm. Vidal in hist. conventus Salmanticensis, et ex Pio Bonifacio Gams pag. 30.

Fr. Gaspar de Molina y Rocha filius fuit D. Joannis Antonii de Molina y Oviedo Marchionis de Ureña, et consobrinus nostratis Card. Gasparis de Molina Episc. Malacensis. Apud Ordinem evasit S. Theologiae Magister, et Prior coenobii Hispalensis. In eadem Hispalensi urbe fuit etiam publicus S. Scripturae professor, illius Universitatis socius Theologus, necnon consultor et recensor librorum regalis societatis de Medicina. Inauguratur Episcopus Almeriae die 24 Maji 1741 et consecratur Matriti die 3 Septembris ejusdem anni in ecclesia Augustiniani regalis coenobii S. Philippi. Vixit in sua Sede usque ad an. 1760, quo ex hac vita migravit die 4 Decembris. Ex relatione P. Fr. Augustini Moreno Aug. Discalc. desumpta ex libro antiquitatum conventus S. Aug. Hispalensis edit. an. 1817, ex annuar. pontif. et ex Gams pag. 6.

Auriae (di Orense) Aug. Ep.

Fr. Augustinus de Eura Barcinone an. 1687 primam lucem aspexit, atque apud nostrates ibidem ipso S. P. Augustini festo die solemnia vota nuncupavit an. 1700. Cathedraticum postea juxta morem curriculum laudabiliter emensus S. Theologiae lauream promeruit, ac varios in sua Catalauniae provincia conspicuos honores obtinuit. Nam fuit praefatae provinciae definitor, atque secretarius, prior conventus Gerundensis, et Barcinonensis, quo a Gubernio ad sui usum occupato, alterum sua industria a fundamentis

extruendum suscepit. Ad instantiam Philippi V an. 1738 die 2 Martii Auriae in Galaecia Episcopus inauguratur. In Episcopatu spectabilem potissimum se, ostendit liberalitate erga pauperes, qua nedum intra episcopalis urbis moenia, verum etiam extra eleemosynarum affatim erogabat. Zelum salutis animarum illa occasione insignem ostendit, qua ob bellicos tumultus in quamdam suae dioecesis partem Lusitaniae finitimam magna fidelium turba se receperat; cum enim Sacerdotes illius regionis spirituali tantae multitudinis curae non sufficerent, ipsemet suppetias illis profecturus itineri se commisit, a quo tamen retrocedere suorum precibus coactus fuit, qui ne amatissimi Praesulis vita tanto discrimini exponeretur aliter providendum esse censuerunt. Recessum ita adamabat ut ex episcopali palatio non egrederetur nisi cum vel ad sacram visitationem, vel ad pontificales functiones peragendas pergere cogeretur. Anno 1743 instituit Confraternitatem sub titulo *Bonae Mortis* in ecclesia B. M. V. episcopali palatio attigua, in qua frequentissimis ibidem haberi solitis piis exercitiis semper aderat, eique multa sacra utensilia donavit. Duabus vicibus nomine Regis ad S. Jacobi Compostellanam Basilicam oblationes regias detulit, qua occasione omnes admirati sunt illius analogos sermones nedum oratoriam, verum etiam poeticam venustatem redolentes. Post diuturnam infirmitatem meritissimus Antistes sui desiderium ovibus suis reliquit die 11 Decembris an. 1763. Vide Hispaniam Sacram nostratis Henrici Flores tom. 17 pag. 200, Gams pag. 55, annuaria pontificia, et Torres Amat in opere cui titulus: Memoria para ayudar a formar un dicionario critico de los escritores catalanos pag. 227, ubi eruditi Praesulis scripta inedita recensentur.

Barchinonis (di Barcellona) Aug. Ep.

Fr. Bernardus Oliver, Valentinus, celeberrimus fuit sacrae Theologiae in Parisiensi Athenaeo doctor atque pro-

fessor. Dicitur apud nostrates scriptores vir incomparabilis doctrinae, et magnarum virtutum, sui saeculi in Hispania praestantissimus, et ad maxima natus. Cum autem nedum doctrina, verum etiam morum probitate, rerumque agendarum dexteritate polleret cum intra tum extra Ordinem praecipuis dignitatibus ac muneribus nobilitatus fuit. Nam an. 1330 nostrati Valentinae provinciae praeficitur, et ab Alphonso IV Aragoniae Rege in consiliarium assumitur. Hisce gradibus anno 1336 ad Oscae Episcopatum ascendit. Item consiliarius fuit Regis Petri IV, qui illum pro difficillimis negotiis expediendis anno 1341 cum ad Majoricarum, tum ad Galliarum Regem legatum adhibuit. Qua regia legatione rite perfunctus, a Clemente VI an. 1343 Bernardo tit. S. Cyriaci Cardinali comes pontificiae ad Hispaniarum Reges legationis designatus fuit. An. 1344 ab Oscensi ad Barchinonensem, et 1346 ad Dertusensem Ecclesiam regendam transivit. A Principatu Catalauniae an. 1348 ad praefatum Petrum Aragoniae Regem orator mittitur, qua provincia expleta eodem anno Dertusae die 14 Julii obdormivit in Domino. Illius corpus in Cathedrali ad sacellum S. Candidae reconditum fuit. Quidam putant Bernardum nostrum fuisse S. R. E. Cardinalem tit. S. Marci; ast probabilius videtur illum fuisse quidem Cardinalem, ut inquiunt, in pectore servatum, numquam tamen in lucem editum. Nam testatur Zurita rerum Aragonensium exactissimus indagator, Regem Aragoniae purpureum galerum pro Episcopo Barchinonensi an 1345 a Pontifice postulasse, (eodem autem anno Episcopus Barchinonensis erat noster Oliverius) ac Summum Pontificem regiae postulationi perhumaniter annuisse promittendo galerum praefato Antistiti se daturum. Verum morae inimica mors promissi solutionem praestolari noluit, ac proinde Bernardus levior sine galero ex Orbe discessit. De illo mentionem faciunt Nicolaus Antonius tom. I pag. 176, Ossinger pag. 642,

Pamphilus fol. 52, Herrera tom. I pag. 104, Gams pag. 14, et Lanteri vol. I pag. 81, apud quem scriptorum ejus catalogum invenies.

Compostellae (di Compostella) Aug. Arch.

Fr. Augustinus Antolinez e nobilibus parentibus D. Galeatio Antolinez de Burgos, et D. Catharina de Saavedra die 6 Decemb. an. 1554 Vallisoleti ortus, in patrio Augustinensium coenobio an. 1571 solemnem votorum professionem emisit. Magistralem deinde S. Theol. lauream adeptus totam Hispaniam suae eruditionis fama replevit; quamobrem praecipuae illius peninsulae academiae subliminora scholarum subsellia illi tradiderunt. Primum itaque Vallisoleti primariam S. Theologiae cathedram conscendit, ac deinde Salmanticam vocatus, ibidem cum sacram Scripturam, tum scholasticam Theologiam cum magno omnium plausu professus fuit. Neque vero tantus doctrinae splendor solus in nostrate Augustino collucebat, sed cum aliarum quoque virtutum splendore consociabatur. Nam eximius Augustinianae Eremi cultor praestabat etiam insigni pietate, atque mira in pauperes liberalitate. Constat illum aliquando in medio itinere, indigentibus nimirum distribuenda, vestes atque calceamenta sibi detraxisse, leviorem propterea ipsum postea atque nudipedem domum reversum. Praeterea nostratem D. Thomam a Villanova imitatus cum ipsemet episcopali dignitate fulgeret, omnes fere Ecclesiarum suarum proventus in pauperes erogavit. Nam jam tribus vicibus Castellae provincialatu egregie perfunctus circa finem anni 1622 a Philippo IV praesentatus, an. 1623 die 10 Maji a Gregorio XV Civitatis Roderici Episcopus inauguratus fuit, et 1624 ad Archiepiscopatum Compostellae translatus, cum antea Tarraconensem acceptare noluisset. Neque vero suis tantum, sed

aliorum quoque largitionibus munificentissimus Antistes egenorum inopiam sublevabat; nam ubi sua crumena non suppetebat, ex ditiorum loculis pro aliis mendicans pauperibus Christi subsidia comparabat. Claruit etiam insignis concionatoris nomine; quamobrem an. 1621 a Philippo IV praedicator regius renuntiatus fuerat, quod tamen munus prae humilitate admittere noluit. Tandem meritissimus vir cum suae Archidioecesi visitandae operam daret, in quodam oppido in morbum incidit, qui statim illius mortem vicinam esse designavit, quae revera illum de medio tollere festinavit die 19 Junii an. 1626, aetatis suae 73. Vide Ossinger pag. 59, Herreram tom. I pag. 34, Dictionarium Moreri vol. I pag. 183, Gams pag. 27, et Lanteri vol. 2 pag. 236, ubi illius scripta referuntur.

Caesaraugustae (di Saragozza) Aug. Arch.

Fr. Petrus Manriquez, nobilis Hispanus, primus fuit apud Ordinem Ultramontanus Assistens a Clemente VIII die 5 Junii an. 1593 institutus. Non ita multo post, idest die 26 Julii an. 1595 Castellae provinciae clavum accepit. Ab eodem Summo Pontifice an. 1601, die 12 Feb. ad instantiam Philippi III electus fuit Episcopus Dertusensis in Catalaunia, et 1610 a praefato Rege Catalauniae Principatus Prorex designatus. A Paulo V die 18 Aprilis an. 1611 Caesaraugustam transfertur. Ibidem an. 1614 synodum celebravit et die 7 Junii 1615 ad meliorem vitam transivit. Hic Praelatus specialem mentionem etiam meretur eo quia (nondum Episcopus) in funere nostratis B. Alphonsi de Orozco orationem habuit. Nominatur ab Herrera tom. 2 pag. 269, Elssio pag. 579, et Gams pag. 82.

Fr. Franciscus de Gamboa ex oppido Orio in dioecesi Pampelonensi patrem habuit D. Martinum de Segurola, et

matrem D. Julianam de Gamboa. Dato Eremitanae Familiae nomine solemnia vota nuncupavit in coenobio Salmanticensi die 9 Aprilis an. 1618. Vir raro ingenio praeditus ac singulari vitae integritate ornatus evasit philosophus ac theologus magni nominis, eximius verbi Dei praeco, atque in Salmanticensi Universitate publicus S. Scripturae, et Theologiae professor. Item fuit S. Officii qualificator, necnon serenissimi Infantis D. Joannis de Austria confessarius. An 1647 in comitiis Madrigalae habitis electus fuit Provincialis Castellae. Anno 1648 ad Episcopatum Pacensem in Bolivia promovetur, quo tamen recusato fit Episcopus Cauriae (di Coria) in Hispania, unde an. 1663 die 26 Septembris ad Archiepiscopatum Caesaraugustanum translatus fuit. Rexit magna cum prudentiae atque zeli pastoralis laude, ac potissimum claruit beneficentia erga pauperes, eos praesertim quibus mendicitas ruborem afferebat, his enim occulte affatim eleemosynarum erogabat. Bonus pastor frequens suas oves visitabat, easque omni ope cum spirituali tum corporali solabatur potissimum satagens ut deviae atque aberrantes ad rectum tramitem reducerentur. Augustinianum D. Thomae Caesaraugustae collegium omni liberalitate adjuvit, primum lapidem illius ecclesiae in fundamentis posuit, atque ad ejusdem aedificationem provehendam multas largitiones suppeditavit. Tandem meritis onustus ad meliorem vitam transivit die 22 Maji an. 1674. Ex testamento tumulari voluit in ecclesia praefati collegii D. Thomae. Ex nostrate Vidal in hist. conventus Salmanticensis, et ex Gams pag. 20, 30, et 159.

Dertusae (di Tortosa) Aug. Ep. Suff.

Fr. Joannes Ruiz, nobilis Aragonius, vir egregie doctus, atque eximius verbi Dei praeco, qui fuerat in Valentina Universitate publicus S. Theologiae professor,

an. 1379 erat Neopatriae (di Patrasso) in Thessalia Episcopus, et Suffraganeus Dertusae. Adhuc hanc mortalem vitam degebat an. 1399. V. Le Quien tom. 3 coll. 1015, Herr. tom I pag. 428, et tom. 2 pag. 533, Elssium pag. 398, et Torellium tom. 6 pag. 327.

Gienni (di Jaen) Aug. Ep.

Fr. Didacus Melo y Portugal an. 1734, et die 24 Maji Pace Augusta (Badajoz) nobilibus ortus parentibus in patrio coenobio Eremitanae Familiae nomen dedit. Magistralem lauream adeptus cum spectatae probitatis ac multae doctrinae nomine floreret, a Carolo IV ad Episcopatum Oxomensem (Osma) commendatus fuit, et sine mora a Summo Pontifice die 12 Septemb. 1794 inauguratus. Possessionem suae Dioecesis adiit die 29 Novemb. ejusdem anni ac biennio post, scilicet 26 Decemb. 1796 Giennium translatus fuit. Rexit hanc Ecclesiam usque ad an. 1808, quo episcopale onus una cum mortali sarcina deposuit. Ex Archivio Cathedralis Oxomensis, ex annuariis pontificiis, et ex Gams pag. 39 ubi ponitur illius obitus ad an. 1816.

Granatae (di Granata) Aug. Ep. Suff.

Fr. Thomas de Paredes, Hispanus, S. Theologiae Magister alumnus provinciae Beticae an. 1652 die 14 Octobris inauguratus fuit Episcopus Claudiopolitanus in Isauria, et Suffraganeus Granatensis. Ex Ordin. Regest. sub Gen. Philippo Visconti ad praefatum an. 1652 pag. 217, et ex manuscripta additione ad Alphabetum Herrerae, quod extat Romae in Bibl. Angelica.

Fr. Alphonsus Vargas ex nobilissima progenie Toleti ortus, in patrio coenobio admodum juvenis Eremitano Ordini nomen dedit. Parisiis magno cum honore studiorum cursum confecit atque doctoralem lauream promeruit. Deinde in illa Universitate publicas philosophiae ac Theologiae cathedras conscendit, quas disciplinas integro decennio cum magno omnium plausu, atque majori discipulorum profectu docuit. Eo tamen magis incomparabilis ingenii vir est laudandus, quia doctrinae praestantiam cum singulari vitae sanctimonia conjunxit. Reversus in Hispaniam prius Oxomensis, ac deinde Pacis Augustae Episcopus inauguratur. Cum an. 1353 Innocentius VI Avenione degens Card. Aegidium Albornoz in Italiam cum magna militum manu misisset ut complures ecclesiasticae ditionis civitates a quibusdam illius aevi tyrannis usurpatas Apostolicae Sedi recuperaret, hic quippe qui nostratis Alphonsi nedum insignem prudentiam, verum etiam invictam animi fortitudinem probe noverat, illum sibi in difficillima expeditione socium adscivit, atque deinceps ex ipsius consiliis et opera plurimum adjumenti percepit. Alphonso inconsulto momentosum aliquod numquam moliebatur; quidquid autem eodem consulente aggrediebatur, illud optime semper feliciterque gerebat. Ipsemet autem Alphonsus artis bellicae peritiam in eadem expeditione ostendit; nam variorum dux praeliorum nonnullas urbes armis devicit, atque Faventiam obsidione ad deditionem adegit. Post tot in Italia reportatas victorias ad suam Pacensem Ecclesiam rediit unde an. 1363 die 13 Octobris ad Hispalensem Archiepiscopatum translatus fuit. Ibidem mutatis armis bellum spirituale suscipiens cum Mahometanis in aciem descendit, eorumque ingentem multitudinem ad Christi fidem convertit. Tandem non sine opinione sanctitatis ex hac vita migravit Hispali die 26

Decembris an. 1366, et in Metropolitana Ecclesia illius mortales exuviae reconditae sunt. De illo haec scribit Nicolaus Antonius Hispalensis in Bibl. veteri tom. 2 pag. 113, n. 305 « *In hoc viro nescis qua arte eximiam litterarum theologicarum peritiam et professionem, religiosumque vitae institutum apud Augustinianos susceptum cum militari vita, et cunctis quae in acie et oppugnationibus ad praefectum belli spectant diu atque acriter exercitis componas*. Vide etiam Ossinger pag. 913, Gandolphum pag. 47, Bibl. Mansi tom. I pag. 73, et Lanteri vol. I pag. 227, apud quem operum ejus censum reperies.

Ilerdae (di Lerida) Aug. Ep.

Fr. Franciscus de Olaso Hipenza natus est Calaguri (Calahora) in Castella Veteri ex honestis parentibus Josepho Olaso, et Francisca Martinez Carrero. In regio S. Philippi Matritensi coenobio die 11 Septemb. 1671 Augustinianum Ordinem professus fuit, apud quem conspicuos gradus, et honores postea obtinuit. Fuit enim S. Theologiae Magister, Rector Collegii Complutensis, Prior coenobii Toletani, definitor, et Castellae Provincialis, ac tandem Romae Hispaniarum Assistens. A catholico Rege ad Archiepiscopatum S. Dominici postulatus fuerat; verum propter quasdam Gubernii Hispanici cum Romana Curia controversias haec postulatio effectu caruit. Anno autem 1711 mense Novembri praesentatur ad Episcopatum Ilerdensem in Catalaunia, cui praesentationi Summus Pontifex suum beneplacitum adjecit. Possessionem iniit per procuratorem die 4 Augusti 1714, atque dimidio Septembri ejusdem anni in suam dioecesim ingressum fecit. Ut depravatos plebis mores corrigeret Clericorum reformationem omnimode curare coepit, qua nimirum fieret ut ecclesiasticornm bonis exemplis caeteri ad meliorem frugem provocarentur. Quam-

obrem eodem an. 1714 synodum dioecesanam indixit, quam revera die 20 Novemb. ejusdem anni Ilerdae celebravit, ejusque decreta postea una cum rituali ad parochorum usum typis evulgavit. Bonus pastor cui optima Clericorum institutio cordi maxime erat, juxta Concilii Tridentini sanctiones Seminarium extruendum suscepit. Ob egregias, quibus eminebat praerogativas dici meruit Praelatus insigni pietate praeditus, optimus curator pauperum, atque studiosissimus decoris suae Cathedralis custos. Tandem ex diuturna aegrotatione debilitatus eximius Antistes die 6 Maji an. 1735, aetatis suae 80, et Episcopatus 21 mortalis vitae cursum complevit in oppido suae dioecesis vulgo Monzon, ubi ut plurimum residebat. In Collegiata ejusdem oppidi Ecclesia tumulatus fuit. Episcopale munus, quod difficillimis temporibus ob bellorum tumultus, qui totam praesertim Catalauniam funestabant, susceperat, summa prudentia, nec minori fortitudine gessit. Ex relatione P. Thyrsi Lopez, et ex Gams pag. 44.

ILERDAE AUG. EP. SUFF.

Fr. Hieronymus de Toro, Hispanus, an. 1539 die 23 Julii electus fuit Episcopus Philadelphiensis, et Suffraganeus Ilerdensis sub DD. Jacobo Conchillos Ilerdae Antistite. V. Herr. tom. I pag. 344, et Els. pag. 291.

Malacae (di Malaga) Aug. Ep. et Card.

Fr. Gaspar de Molina y Oviedo Emeritae in Extremadura primam lucem aspexit, atque quatuordecim annos natus, invitis parentibus Eremitanum Ordinem an. 1694 amplecti voluit, apud quem postea nobiliores gradus obtinuit. Nedum enim fuit S. Theologiae Magister, verum etiam Beticae Provinciae Praeses, atque Hispaniarum, et

Indiarum generalis Assistens. Quoniam autem eo tempore, quo Romae moratus fuit, peculiarem quamdam rerum apud Romanam Curiam agendarum peritiam acquisivit, idcirco postquam in Hispaniam reversus fuerat, non semel illius opera atque industria Catholicus Rex usus fuit. Quamobrem an. 1730 illum ad Havanensem in America Episcopatum postulavit, cui postulationi Clemens XII benigne annuit, ac nostratem Gasparem die 26 Septembris ejusdem anni Havanensem Episcopum renuntiavit. Numquam autem Havanam navigavit; nam paullo post acceptam episcopalem consecrationem ad Barcinonensem cathedram die 23 Junii an. 1731 translatus fuit. Hanc item Ecclesiam mense Majo 1734 cum Malacensi commutavit. Nullibi tamen resedit; nam gravissimis negotiis alibi detinebatur; siquidem inter caetera nobilia ipsi demandata munia illum quoque praefatus Catholicus Rex Philippus V generalem Cruciatae Commissarium, atque Regii Consilii Castellae Praesidem constituerat. Tandem ad ejusdem Philippi Regis commendationem Clemens XII Gasparem nostrum die 30 Decembris an. 1737 creavit Presbyterum Cardinalem non absque formidine ne esset Cardinalis aulicus, idest Regiae quam Romanae Curiae amicior. Experientia tamen aliter omnino comprobavit; nam post acceptam cardineam dignitatem alium se ostendit ab illo qui antea suspicabatur, fuit enim Cardinalis Apostolicae Sedi addictissimus, cui propterea non uno tantum nomine profuit; utens enim ea qua apud Hispanicum Gubernium fruebatur auctoritate atque existimatione periculosa quaedam dissidia, quae inter ipsum Gubernium et Apostolicam Sedem exorta fuerant, ipse sua industria atque prudentia eliminare valuit. Inter caeteras egregias dotes quibus Purpuratus noster decorabatur potissimum commendatur illius liberalitas erga pauperes, amor justitiae, in consiliis ineundis solertia, in deliberandis facilitas, in exequendis celeritas cum immota constantia con-

juncta. An. 1724 ceu theologus synodo Lateranensi sub Benedicto XIII praesertim pro dirimendis de ritibus Sinensium controversiis celebratae interfuerat. Tandem apoplexi correptus Matriti mortalis vitae terminum attigit die 30 Augusti an. 1744, aetatis suae 65. Valde pretiosam ac selectam bibliothecam Augustiniano Hispalensi coenobio reliquit. Illius cadaver apud nostrates in ecclesia S. Philippi ante altare majus Matriti tumulatum fuit. Vide Moroni vol. 46 pag. 32, Lanteri vol. 3 pag. 57, Gams pag. 16, et 49, necnon annuaria pontificia, et Reg. 6 Gen. Felicis Leoni pag. 91.

Oscae (di Huesca) Aug. Ep

Fr. Bartholomaeus de Foncalda anno 1597 Caesaraugustae in Aragonia nobiliter natus, cum apud Jesuitas in litteris atque pietate egregie instructus fuisset, admodum juvenis anno scilicet 1612 die 15 Julii in patrio coenobio Augustiniano Ordini nomen dedit. In studiis theologicis ita postea profecit ut nedum apud Ordinem magistralem lauream, verum etiam apud Caesaraugustanam Universitatem doctoratus insignia obtinuerit. Ob eloquentiam pergami inter primarios suae aetatis in Hispania concionatores habitus fuit. Claruit etiam singulari rerum agendarum dexteritate, summamque industriam atque prudentiam tum maxime ostendit cum Caesaraugustani coenobii, totamque Aragoniae provinciam bis administravit. Fuit praeterea examinator synodalis in variis dioecesibus, necnon S. Inquisitionis Hispanicae qualificator. Anno 1653 die 8 Junii ex praesentatione Philippi IV inauguratur Episcopus Jacensis (di Jaca) in Aragonia. Super cathedram episcopalem positus uberiorem suo zelo suisque virtutibus campum invenit, ideoque se ipso quodammodo majorem ibidem se ostendit. Totus jugiter in eo fuit ut depositum fidei sartum

tectum custodiret, corruptos plebis mores reformaret ecclesiamque suae vigilantiae commissam sollicitudine vere pastorali atque paterna gubernaret. Totam dioecesim pluribus vicibus visitavit eo fructu atque profectu ut noster DD. Franciscus de Gamboa suam quoque Caesaraugustanam Archidioecesim illi visitandam commiserit. Anno 1664 Deputatus Regni constitutus fuit, et 1671 die 31 Januarii ad Episcopatum Oscae (di Huesca) translatus, ejusque translatio Oscensi populo magnam laetitiam, Jacensi vero ingentem moerorem attulit. Novam Sedem parum temporis tenuit; nam meritissimus Praesul, qui inter caeteras egregias dotes etiam ceu strenuissimus justitiae vindex commendatur, die 27 Feb. an. 1674, aetatis suae 77 ad meliorem vitam transivit. Inter caetera pia opera quae illius munificentiae debentur peculiarem mentionem meretur ecclesia S. Matris Monicae, quam suis sumptibus Caesaraugustae nostri Ordinis sanctimonialibus aedificavit. In utraque dioecesi synodum celebravit, atque utriusque decreta typis evulgavit. Nominatur a nostrate Jordan tom. 3 de Augustinianis illustribus prov. Aragoniae pag. 171, 177, et 222, a Gams pag. 37, et in Bibl. Scriptorum Aragonensium tom. 3 pag. 459, et 460.

Oxomae (di Osma) Aug. Ep.

Fr. Petrus de Rojas patriam habuit Vallisoletum, patrem autem Sancium de Rojas, et matrem Franciscam Henriquez de Marchionibus de Poza ex primaria Hispaniae nobilitate. Salmanticam studiorum causa missus ibidem adhuc adolescentulus an. 1555 die 23 Maji in Augustiniano coenobio solemnia vota emisit. Adhuc novitius audito patris obitu, sibique propterea Marchionatus jura ac bona esse devoluta, non respexit retro juvenis quaerens primum Regnum coelorum; sed in sua vocatione immotus perma-

nens maluit abjectus esse in domo Dei, quam mundanam gloriam atque divitias sectari. Magistralem lauream apud Ordinem adeptus variorum subinde coenobiorum, idest Matritensis, Hispalensis, et Cordubensis prioratum obtinuit, et an. 1588 in Capitulo Toletano Castellae Provincialis renuntiatus fuit, quo nomine regularis disciplinae reformationem summopere promovit. Anno autem 1591 die 6 Martii ad instantiam Philippi II a Gregorio XIV eligitur Episcopus Asturigae (di Astorga) quam dioecesim statim totam visitavit, in eaque synodum coegit cujus decreta an. 1592 evulgavit. Ad praefati Regis postulationem an. 1595 circa finem Januarii ad Oxomensem Ecclesiam translatus fuit, cujus Sedis anno insequenti die 24 Martii possessionem iniit. Ibidem suum pastoralem zelum maxime ostendit an. 1599 quo dira pestis suam dioecesim depopulabatur; ipse enim tunc sedulo providit ut praesertim pauperibus cum spiritualia tum corporalia subsidia non deessent, supra modum dolens ad majora praestanda sibi vires non suppetere. Hanc item dioecesim vigilantissimus Praesul sacra visitatione perlustravit, synodumque in ea bis celebravit, quarum statuta publici juris fecit. Animam Deo reddidit die 9 Martii 1602 et in Cathedrali tumulatus fuit. Vide Herr. tom. 2 pag. 269, Els. pag. 568, Gams pag. 57, et Em. Vidal hist. conventus Salmant. cap. 42.

Palentiae (di Palencia) Aug. Ep. praesentatus.

Fr. Dionysius Vasquez, Toletanus, insignis fuit S. Theologiae doctor, qui Compluti, Toleti, atque Parisiis eruditos omnes in sui admirationem convertit. Narrant historici ad tam eximium doctorem Compluti sive e cathedra docentem, sive e suggestu concionantem audiendum plus quadraginta S. Theologiae Magistros accedere consuevisse, nedum enim in cathedra egregium professorem, verum

etiam in pergamo incomparabilem oratorem se ostendebat. Quare a Leone X pontificii, et a Carolo V Imp. caesarei oratoris titulo honestatus fuit. Adeo tam in Hispania, quam in Italia, ac Romae praesertim famosum se reddidit, ut Doctor Doctorum nuncupari meruerit. Cum aliquando praefatus Leo X Dionysium ad laudatum Imperatorem nuncium misisset, apostolicum illius zelum commendans in ipso epistolae initio scripsit: *Mittimus tibi alterum Eliam.* Nec tamen minori apud eumdem Imperatorem existimatione florebat. Nam cum aliquando viros per Germaniam quaereret, quos Luthero in certaminibus de religione opponeret, coram multis adstantibus exclamasse dicitur: *O Dionysi cur ego te in Hispania reliqui?* Item illius conciones avidissime audiebat eique etiam cum primum ad Palentiae in Hispania Episcopatum, tum postea ad Mexicanum in America Archiepiscopatum praesentationem obtulit; ast humillimus coenobita tantum honorem modeste recusavit. Praeter singularem sacrarum litterarum scientiam laudant etiam scriptores in nostrate Dionysio tum latini et hispanici sermonis elegantiam, tum graecae linguae peritiam, tum demum multiplicis eruditionis copiam. Ipsius litterario splendori par erat moralium virtutum ornamentum. Quare jure meritoque ab Augustinensibus historicis inter nostrates vitae sanctimonia illustres recensetur. Ex hac vita migravit Toleti in festo SS. Trinitatis, prout ipse ante praedixerat, anno 1539. Vide Ossinger pag. 914, Nicolaum Ant. Hispal. Bibl. Hisp. tom. I pag. 251, Lanteri vol. 2 pag. 63 et seq. ubi illius scripta recensentur, et Possevinum app. sacr. tom. I pag. 412.

Placentiae (di Placencia) Aug. Ep.

Fr. Henricus Henriquez ortum habuit Vallisoleti a D. Martino Henriquez Mexici, et Peruviae Prorege nobi-

lissimae stirpis Marchionum de Alcanizez e regio sanguine descendentium, et a Maria Manrique e Marchionibus de Aquilar, atque an. 1573 in praefata Vallisoletana urbe die 28 Augusti Eremitarum Augustinensium cucullum induit. Postea evasit S. Theologiae Mag. cum eamdem scientiam plures annos Hispali atque Compluti nostratibus explanasset. In variis subinde coenobiis, nempe Matritensi, Complutensi, et Vallisoletano prioratum laudabiliter cum gessisset etiam totius Castellae Provinciae clavum obtinuit. Quo tempore (1602) ad instantiam Philippi III Regis a Clemente VIII die 15 Novembris ad Episcopatum Oxomensem evectus fuit, quam Sedem tenuit usque ad an. 1610, quo a Paulo V die 21 Junii ad Ecclesiam Placentinam transfertur. Hujus eximii Praelati merita praeclara paucis verbis descripsit Elssius pag. 277, ubi dicitur quod *magis ille mitram ac Sedem episcopalem ornavit, quam ab illis episcopalibus signis ornatus fuerit.* Tandem septuagenarius ex hac vita migravit anno 1622, die 22 Januarii, illiusque exuviae ad suae familiae sepulcrum Vallisoletum delatae sunt. Vide Herr. tom. I pag. 347, Crusenium pag. 222, et Gams pag. 64.

Fr. Placidus Bayles y Padilla primam lucem aspexit Antiquerae in Archidioec. Malacensi die 14 Octobris an. 1682. Cum in coenobio Hispalensi nostro Eremitano Ordini nomen dedisset, in litteris postea ac pietate ita profecit, ut omnium nostratum existimationem sibi promeruerit. Quare magis conspicua munia illi commissa fuerunt, in quibus cum nedum probitatis, verum etiam prudentiae atque vigilantiae luculenta specimina praebuisset, etiam Provincialatum (Vandalitiae) obtinuit. Nostratis Placidi virtutum fama ad aures pervenit Catholici Regis Philippi V qui propterea illum ad Oscensem Episcopatum a Clemente XII postulavit. Et revera die 8 Martii Episcopus Oscensis

inauguratus, 2 Maji an. 1739 suae dioecesis possessionem adiit. Mense Octobri ejusdem anni synodum celebravit, cujus decreta anno insequenti per praelum publici juris fecit. Bonus pastor, qui Episcopatus potius onus quam honorem respiciebat, pastoralis visitationis incommodis ac laboribus humeros non subducebat, ac dum huic praecipuo episcopali muneri operam dabat ubique suae beneficentiae, suique spiritualis zeli praesertim in sacrae Confirmationis sacramento ministrando specimen exhibebat. Ad praefati Regis instantiam an. 1742 die 26 Novembris a Benedicto XIV Placentiam translatus fuit, quam Sedem tenuit usque ad an. 1747, quo ex hac vita migravit. Vide Theatrum Ecclesiarum Regni Aragoniae editum an. 1796 a P. Fr. Raymundo de Osca Cap. annuar. pontif. et Gams pag. 65.

Salmanticae (di Salamanca) Aug. Ep. praesentatus.

Fr. Josephus Muñoz Capilla unus fuit e praecipuis scriptoribus qui hac ipsa nostra aetate peninsulam Ibericam illustrarunt. Praesertim eruditissimum calamum strinxit scribens egregium opus de verae religionis origine, deque praecipuis ejusdem epochis contra Dupuis opus de origine omnium cultuum. Quippe vir erat praestantissimi ingenii, singularis eloquentiae, indolis ingenuae, cordisque veraciter sinceri, idcirco omnium sibi nedum existimationem, verum etiam benevolentiam conciliavit. Ortum habuit Cordubae die 29 Junii an. 1771, ex honestis probisque parentibus D. Rocho Muñoz Capilla, et D. Antonia de Vega, qui pueri vocationem probe noscentes illum latinarum litterarum studio addixerunt. Ubi autem 15 suae aetatis attigit annum, Eremitanum habitum sumpsit in coenobio Dominae Nostrae de Regula. Non minus intra quam extra Ordinem conspicuos subinde honores obtinuit. Nam fuit S. Theologiae Magister, et Prior Cordubensis, socius variorum co-

mitatuum publicorum, vulgo *Giunte*, necnon rector hospitii erecti a DD. Petro Antonio de la Trevilla Antistite Cordubensi, et nosocomii sub titulo SS. Christi de Misericordia, quibus locis piis ingentia beneficia praestitit. Nam ubique locorum administratores religiosi nosocomia ditiora reddunt, saeculares e contra depauperant. Qui mihi non vult credere, experientiae credat. An. 1822 ad Salmanticensem, et 1835 ad Gerundensem Episcopatum praesentatus fuit, verum humillimus coenobita utramque mitram declinavit. E suo coenobio *Liberalium* furore egredi coactus, in domum cujusdam suae sororis germanae se recepit in quadam Cordubensis urbis via, quae ab illius cognomine postea nomenclationem accepit. Ibidem debitum naturae persolvit die ultima Februarii anno 1840, aetatis suae 69. Post illius obitum Cordubensis Municipii optimates ad tam eximii concivis memoriam honorandam illius exuviis in publico coemeterio locum distinctum in perpetuum assignarunt apposito decreto statuentes ut nunquam illius haeredes cogi possint ad consuetam taxationem solvendam pro sic dicta sepulturae renovatione, sive, ut melius dicam, redemptione. Hoc privilegium nostratis Josephi ossibus proderit donec sceptra non arripuerint moderni naphtistae (vulgo petrolieri) ad omnia destruenda parati. Liberet tamen Deus humanam societatem ab hujusmodi belluarum ferocia. De illo mentionem faciunt cum laude Lanteri vol. 3 pag. 293, et Theodomirus Ramirez Arellano in opere stylo patrio exarato, quod latine sonat: *Deambulationes per civitatem Cordubensem*, edit. 1874 pag. 228, et 229.

Segobrigae, et Albaracini (di Segorbia, ed Albarizin) Aug. Ep.

Fr. Joannes Muñatones, nobilis Hispanus, Augustiniani coenobii Toletani alumnus, S. Theologiae Magister

an. 1541 erat regius Caroli V concionator, qui ejus consiliis in arduis Germaniae negotiis frequenter usus fuit, eumque propterea secum in Germaniam duxit. Deinde confessarius egit Infantum Hispaniae DD. Mariae, et Joannae, quarum prima Romanorum Imperatrix, et altera Lusitanorum Regina evasit. Item praeceptor et institutor extitit D. Caroli Hispaniarum Principis, qui juvenis Regnum assequi morte prohibitus fuit. An. 1556 die 12 Junii a Paulo IV inauguratur Episcopus Segobricensis, quo nomine an. 1563 Concilio Tridentino interfuit. Synodum celebravit mense Junio an. 1566, et 1567 Matriti ecclesiam Jesuitarum consecravit. Juxta Gams pag. 69 ubi nostratis Joannis Augustiniana professio reticetur, obiit Valentiae die 15 Aprilis an. 1571. Nominant illum cum laude Ossinger pag. 614, Pamphilus fol. 117, Herrera tom. I pag. 442, et Nic. Ant. Hispalensis tom. I pag. 573. Scripsit vitam S. Thomae de Villanova.

Solsonae (di Solsona) Aug. Ep.

Fr. Guilelmus Goyalons ortum habuit in oppido insulae Minoricae cui vulgo nomen Seyor, et Barcinone Augustinianum Ordinem ingressus fuit. Commendatur a scriptoribus ceu vir valde eruditus, et in operibus S. P. Augustini apprime versatus. In suis concionibus nullum alium praeter S. P. Augustinum e Sanctis Ecclesiae Patribus citabat dicere solitus pro quibuscumque sermonibus unum sufficere Augustinum. Fuit S. Theologiae Magister, qualificator S. Officii, examinator synodalis, bis Prior conventus Barcinonensis, itemque bis Provincialis. Ex Caroli II commendatione inauguratus fuit Episcopus Solsonae in Catalaunia die 13 Aprilis an. 1699, et episcopalem consecrationem recepit in Augustiniana Barcinonensi Ecclesia die 13 Junii an. 1700. Suam Dioecesim magno cum

zelo, atque prudentia gubernavit usque ad an. 1708, quo Barcinone die 12 Augusti ad meliorem vitam transivit. Apud nostrates in praefata urbe tumulatus fuit. Vide Jacobum Jordan Aug. tom. 3 hist. prov. Aragoniae pag. 405, et Gams pag. 75.

Fr. Raphael Lasala y Locela primam lucem aspexit Venaroz in dioecesi Dertusae die 7 Augusti an. 1710, et solemnia religionis vota nuncupavit die 23 ejusdem mensis an. 1731. Evasit subinde S. Theologiae Magister, philosophiae et mathematicae professor, collegii S. Fulgentii rector, necnon variorum conventuum prior. Item socius fuit Valentinae Academiae nobilium artium, et an. 1767 die 14 Decemb. eligitur Episcopus Adramyttensis in Troade provincia Asiae minoris, et Suffraganeus Valentinus, quod officium cum plausu exercuit sub Arch. Andrea Mayoral, ejusque successore Thoma Azpuru usque ad hujus obitum an. 1772, quo sedis vacantis tempore a Capitulo Cathedralis constitutus fuit unius Archidioecesis partis visitator. Deinde ad Solsonensem Ecclesiam die 15 Martii an. 1773 translatus fuit. In hujus dioecesis regimine ita se gessit prout quisque expectare poterat a Praelato multa pietate doctrina, atque prudentia praedito. Quamvis infirmae esset valetudinis totam nedum dioecesim, verum singula etiam ejusdem loca minima coram visitavit ubique zelum Sacerdotum inflammans, Confirmationis Sacramentum administrans, ac fideles ad pietatem honestamque vitam adhortans. Quoad per vires ei licuit in Cathedrali singulis festis conciones ad populum habuit. Probe sciens optimus pastor ex ecclesiasticorum doctrina plurimum utilitatis in christianam plebem redundare, ampliori clericorum eruditioni prospexit, cathedras S. Scripturae, ac Theologiae instituit, easque viris eruditis commisit, necnon ecclesiasticas Academias excitavit, quas ipsemet sua praesentia

provehere non desinebat. Praecavens semper ne regendi frangeretur auctoritas, omnibus se facilem atque affabilem exhibebat, qua agendi ratione ovium suarum amorem ac benevolentiam sibi comparavit. A Pio Bonifacio Gams pag. 76 dicitur *auctor ecclesiasticus*, eo quia plura praelo tradidit suae eruditionis monumenta, quae recensentur apud Lanteri vol. 3 pag. 364. Ad meliorem vitam transivit die 16 Junii an. 1792.

Tarraconis (di Tarragona) Aug. Arch.

Fr. Franciscus Armaña primam lucem aspexit Villanovae de Geltru in Hispania die 3 Junii an. 1718 ex humilibus honestisque parentibus ortus. Quatuordecim annos natus Barcinone apud nostrates cucullum induit, cumque perspicaci ingenio, tenacissima memoria, atque optima indole praeditus esset omnium Patrum admirationem in se convertit, spem minime dubiam cunctis suppeditans se in magnum Eremitani Ordinis bonum evasurum. Magis conspicua suae Provinciae munia subinde obtinuit; fuit enim magister novitiorum, secretarius P. Prioris Provincialis, Prior Barcinonensis, Vicarius Provincialis, ac demum Aragoniae Prior Provincialis, quae officia non quidem per suffragia juxta morem, sed per acclamationem illi singula collata fuerunt. Vir scientiarum amator, atque de Augustinensium alumnorum profectu valde sollicitus cum philosophica, tum theologica studia sublatis antiquis mendis reformavit, selecta ad hunc scopum bibliotheca comparata. Ad instantiam Caroli IV Regis a Clemente XIII die 25 Junii an. 1768 ad Episcopatum Luci Augusti evectus fuit. Inauguratus Episcopus haud imparem se huic dignitati ostendit. Singulas enim quas Apostolus Paulus in suo Timotheo requirebat pastorales virtutes praesetulit. Praeter consueta Episcoporum officia, quotidie unam aut

amplius horam meditationi vacabat, integrum rosarium recitabat, dominicis festisque diebus choro intererat, lectulo aspero utebatur, frugali mensa, et humili suppellectili, adeoque jejuniis, aliisque id genus austeritatibus operam dabat ut pro viro sancto ab omnibus haberetur. Ad haec quotidie flexis genibus horas canonicas recitabat, singulisque etiam diebus item flexis genibus legebat, et contemplabatur duo capitula S. Scripturae, et numquam fere domo ad ambulandum egrediebatur, animarumque zelo exaestuans concreditas sibi oves jugi verbo Dei pabulo enutriebat, ac magnum inde conversionum fructum reportabat. Propter effusam erga pauperes liberalitatem jure merito nostrati pauperum patri D. Thomae a Villanova comparatus fuit, propter vastam eruditionem autem, propter eloquentiam, suavitatem et vim sermonis, propter zelum tandem atque fervorem in pergamis palam ostensum SS. Augustino, Ambrosio, Chrysostomo, atque Chrysologo assimilatus. Anno 1785 die 14 Februarii ad Tarraconensem Archiepiscopatum translatus fuit, ibique tempore rebellionis gallicae multos suis expensis aluit exules illius nationis cum ecclesiasticos tum laicos, atque hos inter etiam D. Antonium Sartine ministrum politiae atque marinae apud Regem christianissimum. Ex hac vita migravit non absque opinione sanctitatis die 4 Maji an. 1803, aetatis suae 85. En epitaphium illius tumulo appositum *D. O. M. Francisco Armagnano ex Eremitis S. Augustini primum Luci Praesuli, post Archipraesuli Tarraconensi, utrobique indefessa salutis animarum cura, verbo et scriptis doctissimis aeque atque piissimis, morum ibidem integerrimorum exemplo informatis ad pietatem populis, optimi Antistitis functo munere, egenorum patri, quorum sublevandis miseriis nihil pene sibi relinquens amplissimos Pontificatus redditus expendit, cujus maxime opera et ope fontanali aqua intra muros inducta gaudens potitur Tarraco, in senectute bona e vivis sublato die IV Maji*

anno 1803 aetatis suae 85. Praefatus aquaeductus res fuit magni momenti pro Tarraconensi urbe adeo ut canonicus quidam ad hoc beneficium celebrandum repraesentarit matronam cum hac inscriptione « *Tarraco expleta siti*. Vide Felicem Torres Amat de scriptoribus Catalaunis, Gams pag. 47 , Moroni vol. 72 pag. 283 , et Lanteri vol. 3 pag. 248 , et seq. ubi eruditissimi Praesulis opera typis edita enumerantur.

Tariasonis (di Tarazona) Aug. Ep. electus

Fr. Paulus Oliva, Valentinus. S. Theologiae Mag. et juris canonici peritissimus circa an. 1390 erat Provincialis Valentiae, et consiliarius Joannis I Aragoniae Regis. Ex hac vita migravit an. 1395 Episcopus Tariasonensis electus. Vid. Herrer. tom. 2 pag. 383, Torellium tom. 6 pag. 284, et Elssium pag. 553.

Toleti (di Toledo) Aug. Ep. Suff.

Fr. Franciscus Maldonatus, Hispanus, conventus Matritensis alumnus an. 1626 instituitur Episcopus Syrae (in Arcipelago Graeco) et Suff. DD. Ferdinandi Card. de Austria, Hispaniarum Infantis, et Archiepiscopatus Toletani administratoris. Obiit Matriti sexagenario major an. 1632. Vide Herreram tom. I pag. 243, et Elssium pag. 211.

Valentiae (di Valenza) Aug. Arch.

D. Thomas de Villanova ortum habuit an. 1488 in Castro Fontisplani Toletanae dioecesis in materna domo , ad quam timore pestis tunc parentes sese receperant. Pater illius fuit Alphonsus Thomas Garzia de Villanova ejusdem dioecesis oppido, et mater Lucia Martinez Castel-

lanos, honesti piique conjuges, quibus ipsa fortunae bona non deerant. Hi catholicae Religioni ita firmiter adhaerebant ut in domos suas Inquisitores Regni Murciae hospitio excipere solerent; in pauperes autem liberalitatem adeo colebant ut numquam vacuo sinu egenos a se abire permiserint. Sub talium itaque parentum disciplina Thomas pie educatus jam inde ab infantia didicit intelligere super egenum et pauperem. Nam jentacula ei ad gynnasium eunti tradi solita esurientibus partiebatur, crebro aut pallio aut pileo, vel thorace, aut caligis, vel alio hujusmodi indumento, quod indigentibus tradiderat, domum exutus redibat, ipsumque sibi paratum prandium esurientibus non semel distribuit matri interea spondens ea die se minime comesturum. Verum aegre ferente matre puerulum nimio jejunio viribus destitui, ipse ut ingeniosa caritate suam abstinentiam matrem celaret, sui prandii portionem quasi illam cum amicis esset comesturus extra domum deferebat, eaque pauperibus tradita, se hilarem omnino ac saturum ostendens eo die prorsus ab omni esca se abstinebat. Grandiusculus effectus cum a patre ad agrum mitteretur ut messoribus praeesset, non semel cibum ipsis sibique destinatum colligentibus spicas pauperibus distribuit. Jussus aliquando frumentum a pio parente mutuum agricolis egenis gratis datum exigere, si illos inopia laborantes comperibat, enixe patrem rogabat ut propter Dei amorem omne eis debitum remitteret. Quadam autem vice veritus ne pater suis precibus non assentiret villico debitori suasit ut si non posset tritico, palea saltem refertos saccos ad horreum deferret, quibus vacuefactis a patre rogatus utrum ille agricola frumentum restituisset, ad mendacium declinandum respondit: *Jam saccos plenos ab eo delatos in horreo fuisse depletos*. Ova recentiora ad xenodochium reficiendis languentibus portitabat, et quadam die cum mater domo egressa solitam pauperibus erogari eleemosynam parare oblita fuis-

set, ipse ne juxta morem ad ostium accedentibus egenis repulsam dare cogeretur, sublatos gallinae pullos eisdem distribuit, matrique postea ob hujusmodi rem conquerenti dixit: *Ab hinc in posterum domo egressura relinque, quaeso mater, in promptu panem esurientibus distribuendum, ut redux pullos distractos non conqueraris.* Ecclesias frequenter adibat, eratque etiam domi in oratione semper assiduus, cilicio atque flagellis carnem domabat, eaque per oblivionem aliquando in cubili relicta non absque admiratione mater detexit. Praeterea ita modestiam custodiebat ut numquam a terra oculos elevare soleret, adeoque castitatem adamabat ut una omnium voce virgo diceretur. Ex ephebis egressus Complutum missus fuit liberalibus disciplinis operam navaturus, ibique tum ob profectus magnitudinem tum maxime propter suarum virtutum splendorem inter primos percelebris S. Ildelphonsi Collegii alumnos recenseri meruit, caeteris omnibus, sed praesertim ecclesiasticis scientiis adipiscendis enixius intentus. Brevi ex discipulo magister effectus philosophiam in Complutensi Academia summa cum laude publice profiteri coepit, habuitque auditores viros praestantissimos Dominicum Sotum Dominicanum, et Ferdinandum Enzinar, qui duo fuere suae aetatis luminaria splendidissima. Erat tunc Thomas cum Complutensem cathedram conscendit 26 annos natus, ac biennio post Salmanticam eamdem disciplinam docere majori illi atque auctiori oblato emolumento vocatus fuit. Verum Thomas neque ampliori honoris intuitu, neque uberioris pecuniarum lucri spe adeo allici potuit ut Salmanticensem cathedram admittere animum induceret. Compluti cum degeret audito patris obitu paternam domum in monasterium convertens integrum patrimonium alendis ibidem egenis virginibus addixit, cujus exemplum imitata Agnes Garzia ejus amita valde locuples mulier, venditis omnibus quae possidebat, iisque in pauperes erogatis in

xenodochio infirmorum obsequiis suae vitae residuum mancipavit. Thomas autem cum inter assidua pietatis opera, atque omnigenarum virtutum exercitamenta tamquam illibatum lilium inter medias hujus mundi spinas atque salebras ad 29 suae aetatis annum incontaminatus pervenisset, probe sciens vir spiritu Dei plenus humanae perfectionis thesaurum in vase fictili contineri, quod inter seculi tumultus facile scopulis impingere adeoque frangi illico posset; ad hujusmodi pericula devitanda aliquod monasticum Institutum post expetitum jugibus unius anni orationibus, jejuniis, atque eleemosynis a Patre luminum auxilium amplecti deliberavit. Itaque Complutensis cathedrae honores atque emolumenta ultro dimittens, nostratis D. Joannis a S. Facundo fama permotus in Salmanticensi coenobio an. 1517 Eremitanum habitum induit cum 29 suae aetatis annos haberet. Cum in ipso tyrocinio tum mira suae voluntatis abdicatione, tum exacta regularis disciplinae observatione non quidem tyronem, sed veteranum militem experimento se comprobasset, ad solemnia vota emittenda omnium Patrum nedum unanimi consensu, verum etiam summo gaudio admissus fuit. Non ita multo post anno scilicet 1520, quo etiam fit Magister, Superiorum jussu annos natus 32 Sacerdotio initiatur atque aliorum religiosorum cum institutioni, tum regimini praeficitur. Nam statim ab emissa solemni votorum professione Augustinenses alumnos theologicis scientiis imbuendi munus, ac biennio post Prioratus officium in coenobio Salmanticensi utrumque exercendum illi demandatum fuit. In primi muneris perfunctione adolescentium animos magis ad sanctitatem quam ad scientiam erudire satagebat; quamobrem sub ejus disciplina plures eximii sanctitate viri instituti fuerunt, inter quos potissimum eminent nostrates Hieronymus Ximenes Mexicanorum Apostolus, qui miserrimos illos Indos ex brutis, ut ita dicam, homines effecit, eosque tum mira vitae inno-

centia, tum crebra miraculorum patratione ab idolorum ad veri Dei cultum convertit, et B. Alphonsus de Orozco, de quo hisce nunc diebus SS. D. Pius Papa IX suo decretorio judicio constituit *tuto procedi posse ad solemnem illius beatificationem*. In alterius autem officii administratione omnibus omnium praebebat praeclarissima virtutum exempla. Nam divinis contemplationibus, jejuniis, vigiliis, caeterisque corporis afflictationibus jugiter vacabat. Item sacrorum librorum lectioni, humilitatis, patientiae, pietatis, atque misericordiae operibus continenter incumbebat. Infirmos crebris visitationibus recreabat, eisque sua praesentia tantum solamen afferebat, ut nullo, dum ipse illis adstabat, ullimode dolore se affici faterentur; virginitatis autem ita vigil custos extitit ut illam quoad vixit illibatam perpetuo servaverit. Primus omnium in chorum ingredi, ultimus autem egredi consuetus erat, Missam incredibili animi fervore celebrabat, atque animarum zelo exaestuans earumdem aeternae saluti procurandae assiduam sedulamque operam dabat, praesertim quotidie sacras confessiones excipiendo, atque indefesse verbum Dei praedicando, quo in munere obeundo tam mira dicendi copia, tanta suaviloquentia, tantoquo supra omnia spiritus ardore praeditum se ostendebat, ut innumeram hominum multitudinem ad suas conciones audiendas undique pertraheret; qui omnes mirabantur vultum ejus concionantis tamquam Angeli loquentis ad illos. Non solum autem Hispaniam, verum etiam Lusitaniam a Rege Joanne III invitatus praedicatione peragravit, tantam utrobique tum apud populos, tum apud viros principes et eruditos eximii concionatoris famam adeptus ut tamquam Iberiae apostolus, tuba vitae, vox coelorum atque electionis vas ab omnibus habitus fuerit. Ipsemet quoque Carolus V Imperator eum concionantem audire praegestiebat; quamobrem illum in suum concionatorem assumpsit. Ad rem apposite narrant scriptores insi-

gne quoddam evangelicae libertatis exemplum a D. Thoma cum esset Burgensis coenobii Prior ipsi Carolo V exhibitum. Nam cum praemonuisset Thomam se quodam die festo ad nostram ecclesiam concionem audire accessurum, statuto die P. Prior clausus intra cubiculum suum ad concionem memoriter recitandam se exercebat, dum ecce inopinato ante horam praefixam venit Imperator, statimque Thomam ad colloquendum arcessit. Quid autem Thomas tunc? De officio magis quam de urbanitate sollicitus nuntium ad imperatorem remisit, qui suis verbis illi diceret: *Si vis praedicem, accedere prohibeor; si contra accedere me cogis, praedicare nequibo.* Hoc responsum nequaquam aegre tulit Imperator sed e contra illud libens excepit, gratumque habuit; solent enim homines magni aliorum magnanimitatem plurimi existimare. Praeter supradicta apud Ordinem alia item conspicua munera Thomas noster singulari cum zelo ac prudentia exercuit; fuit enim etiam prior Vallisoletanus, visitator provinciarum Beticae, et Castellae, definitor, ac demum provincialis Vandalitiae, et Castellae, quo tempore viris vitae sanctimonia ac litterarum praestantia insignibus Augustinianam Familiam auxit. Regularem disciplinam in coenobiis, quibus praefuit, indefesso studio instauravit adeo ut inter reformatores Eremitanae Religionis adnumerari promeruerit. Tanti viri sanctitatis atque doctrinae nedum fama, verum etiam experimento excitati Carolus V Imperator, et Philippus II Hispaniarum Rex illum Summo Pontifici Ecclesiae Granatensi praeficiendum praesentare cupiebant, quem tamen honorem Thomas sua cella suaque tunica contentus constantissime recusavit. Verum accedentibus postea superiorum hortationibus et mandatis quamvis invitus, tamen propositum suum aliorum voluntati posthabuit. Quare an. 1544 die 5 Augusti Archiepiscopus Valentinus renuntiatus suam cellam multis cum lacrymis reliquit, et ad Ecclesiae suae

possessionem capessendam quavis spreta pompa, omnique splendido comitatu praetermisso, habitu tantum Religionis indutus, unico duntaxat itineris socio adhibito pedes Valentiam contendit. Ubi cum multitudinem operantium iniquitatem (transcribam ad litteram relationem factam in Consistorio secreto coram Alex. VII die 2 Sept. an. 1658) et esse tempus inibi comperisset, ut nedum laici, sed etiam clerici sanam doctrinam non sustinentes ad sua desideria coacervarent sibi magistros prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertentes ad fabulas converterentur; repente coepit crebris jejuniis, flagellis, orationibus se victimam pro ovibus offerre, et Dei iram placaturus pro subditorum peccatis altaria cumulare votis, hostiisque pacificis. Mox coacta synodo clerum reformavit.... pietatem ubique plantavit, vitium avulsit. Assiduis concionibus pueros christianae vitae legibus erudivit, adultos ad poenitentiam peccatorum, et vitae sanctitatem animavit, ac viros coeno pertinaciter immersos extraxit. Ita enim eum concionari audientes intrinsecus vulnerabantur ut inde plurimi repente ad confessarii pedes admoti anteactae vitae semitam deseruerint etc. Neque digne quis posset exprimere in quantis vexatus, quibus contumeliis affectus, quibus lacessitus injuriis, blasphematus obsecraret, injuratus apponeret scutum patientiae, vincens in bono malum. Huc usque praefata relatio. Quemadmodum in coenobio, ita etiam in Episcopatu pauperrimam vitam degebat. Mensa supra quam cuique credibile est frugali ac modica utebatur, non linea, sed lanea indumenta adhibebat, non in aulea, non in vasa aurea, non in argentea utensilia, non in rhedas, non in equos, non in rhedarios, non in multos famulos, non demum in consanguineos, sed in egenos duntaxat suae Ecclesiae proventus erogabat. Ex 18 millibus scutatorum, quae illi quotannis Archiepiscopalis mensa suppeditabat, duo millia Principi Georgio de Austria

suo antecessori in pensionem solvebat, tria millia sibi ac familiaribus alendis, nec non aedificiis reficiendis reservabat, reliqua autem omnia pauperibus distribuebat. Ad haec cum aliquando a suis Canonicis illi quatuor aureorum millia in subsidium oblata fuissent, ipse nondum ea acceperat, cum jam ad xenodochium, quod incendio conflagraverat, reficiendum converterat. Ut autem largius pauperibus subveniendi ipsi facultas suppeteret, laceris vestibus utebatur, quas suis manibus resarciebat, sibique paratam escam ventri subtrahebat, ut plures famelicos reficeret, immo eo usque pervenit nostratis Thomae inexpleta, ut ita dicam, largiendi esuries, ut ipsum quoque cubile, in quo jacebat, cuidam patrifamilias morti proximus donarit, ex quo jure dici potest omnia omnino, nihilo sibi retento, pauperibus tradidisse. Puellabus egenis dotem liberaliter suppeditavit, captivisque e Maurorum jugo liberandis ingens litrum impendit. Tria denique collegia Compluti, Oriolae, ac Valentiae instituit atque dotavit, e quibus tum probitate tum doctrina viri praestantes non pauci prodierunt. Ecclesiasticae libertatis acerrimus vindex rectorum mundi vel potentia vel minis numquam flecti potuit quin illam pro suo munere tueretur, et cum aliquando comperisset quemdam clericum in publicum carcerem detrusum, ministros regios anathemate et interdicto ad illum dimittendum coegit, eosque publicae poenitentiae subjecit, cui licet inviti satisfacere debuerunt, quia tunc temporis nondum *licebat per leges Regum ecclesiasticas censuras impune violare*. Poenitentiae percupidos jejunia Ordinis, caeterasque in nostris sacris Constitutionibus praescriptas austeritates nunquam intermisit, saepe etiam super asseres cubabat, saxumque pro cervicali capiti supponebat. Inter haec divini amoris igne fervens saepe saepius praesertim inter concionandum in ecstasim raptus atque interdum etiam in aere suspensus ab adstantibus conspiciebatur, cujus rei

potissimum exemplum extat sublimis illa, quae in ipsa dominicae Ascensionis celebritate illi contigit mentis corporisque elevatio, cum horis canonicis praesens ad antiphonam nonae: *Videntibus illis elevatus est*, ipse quoque e terra sublatus integro 12 horarum spatio prorsus immobilis mirantibus omnibus permansit. In laudata jam superius relatione haec a nostrate Thoma dum adhuc hanc mortalem vitam degeret miracula patrata narrantur. Cum aliquando horreum episcopale frumento penitus exhaustum ministri scopis mundassent, jubente nihilominus Thoma cuidam pauperi mulieri subsidium tritici suppeditari, horreum adeo plenum inventum est ut grana e januae rimis redundarent, et prae nimia exuberantia vix fores reserari potuerint. Item quemdam egenum Caesaraugustanum 45 annorum paralysis morbo contractum signo Crucis repente sanavit. Praeterea spiritu prophetiae non caruit, atque futura multa certo praedixit, pollebatque etiam potestate in daemones e quibus innumeros tum ab urbe et agris Burgensibus, tum ab hominum quoque corporibus vocis suae imperio ejecit. Hisce tandem, multisque aliis meritis plenus in febrim incidit, ex qua sui transitus horam appropinquasse cognovit; quare omnem pecuniam, quam nondum in pauperes erogaverat, eisdem statim distribui jussit, acceptoque magna cum laetitia summoque gaudio vicinae mortis nuntio SS. Ecclesiae Sacramentis refici postulavit, ac sacrosanctum Sacrificium in suo cubiculo confici, et dominicae Passionis Evangelium secundum Joannem legi voluit, eoque cum altissima contemplatione audito, ac mira pietate et humilitate (ita Breviarium Ordinis) augustissimo Sacramento ad elevationem adorato prae gaudio ingentem vim lacrymarum profundens inchoavit canticum: *Nunc dimittis*, eoque absoluto dicens: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*, expiravit ipso festo Nativitatis B. Virginis anno 1555 aetatis suae 68. Ut ipse optaverat apud no-

strates Valentiae in Ecclesia S. Mariae de Succursu tumulatus fuit, ejusque funeri plus octo millia hominum collacrymantium interfuere. Post illius obitum statim coepit Deus in ejus sanctitatis confirmationem plura patrare miracula, inter quae in praefata relatione narrantur ea quae subjiciuntur. Quidam Franciscus Cardona septem mensium aegrotatione consumptus, ac demum extinctus D. Thomae auxilio per defuncti matrem implorato ad vitam revocatus fuit. Item Sperantia Valera febri decem mensibus vexata, ac tandem vita functa Thomae intercessione revixit. Catharina Vincentia insanabili plagarum morbo quinquennio affecta dum exhaustis jam viribus ad extremum adducta esset ad Thomae patrocinium confugiens pristinam sanitatem recepit. Marcella Lizania ophtalmia diu excruciata, et a medicis tandem derelicta dum pro illius sanatione Sacrum in altari B. Thomae conficeretur, repente ita oculorum sanitatem recuperavit ut solem ipsum absque ulla laesione intueri posset. Petrus Antonius Sutor pedibus adeo debilitatus ut neque fulcimentis innixus incedere posset, B. Thomae se commendavit, et statim liberum incessum impetravit. Jacobus Cervera ulcerum incurabilium doloribus quatuordecim annorum spatio afflictus, et humanis remediis juvari non amplius posse expertus Thomae opem implorans statim sanus evasit. Vincentius Cyprer paralysi laborans Thomam deprecatur et repente brevi somno correptus, vix expergefactus se prorsus morbi expertem reperit. Catharina Montalta lactis defectu suam prolem nutrire non valens, flores qui B. Thomae sepulchrum ornabant uberibus admovit, mammarumque statim ubertatem consecuta est. Ludovicus Lemos chirurgus sola B. Thomae intercessione se diutinis podagrae cruciatibus immunem evasisse gavisus est. Alia hujusmodi miracula praetermittimus, quae legi possunt apud historicos, qui nostratis B. Thomae vitam conscripserunt, inter quos ex Eremitano

Ordine praecipue recensentur Aemilius Rasponinus Ravennas, Benedictus de Aste Hispanus, Georgius Maigretius Belga, Hieronymus Canton Hispanus, Jo. Baptista Penne Perusinus, Michael Salon Hispanus, Sebastianus Broilus Fanensis, ac tandem ut caeteros omittamus Laurentius a S. Barbara August. Discalc. cujus lucubratio praefixa habetur operibus nostratis D. Thomae editis Mediolani an. 1850. Reliquit enim piissimas conciones atque quasdam in Cantica Canticorum, et Apocalypsim expositiones, quae jus sperandi praebent aliquando Thomam nostrum S. Ecclesiae Doctorem declaratum iri. In Beatorum album relatus fuit a Paulo V die 7 Octobris an. 1618, et Sanctorum coetui solemni pompa adscriptus ab Alexandro VII ipso omnium Sanctorum festo die an. 1658. Ab eodem Paulo V *pater pauperum, et Praelatorum speculum* nuncupatus fuit.

VALENTIAE AUG. EP. SUFF.

Fr. Joannes de Formentera alias de Ophiusa in Balearibus insulis an. 1440 erat Episcopus Bethleem, et administrator Archiepiscopatus Valentini pro D. Alphonso de Borgia, qui postea fuit Summus Pontifex Callistus III. Ultra 20 annos in Episcopali dignitate vixit. Videtur idem esse cum Joanne de Ophiusa quem in saeculis vol. I pag. 385 diximus Episcopum Sydonis an. 1381. V. Herr. tom. I pag. 533, Els. pag. 352, et Torel. tom. 6 pag. 716.

Fr. Jacobus Perez Ajorae in provincia Valentiae ortus, dicitur a scriptoribus vir doctrina praesertim theologica, et vitae sanctimonia illustris. De illo haec habet Zacharias Boverius Capucinus tom. 2 demonst. lib. 3 art. 4 pag. 212: Praeclaris voluminibus non solum Ecclesiam illustravit, sed suis etiam regularis observantiae, ac vitae probitatis normam et exemplar praebuit. Anno 1455 electus fuit Ara-

goniae Provincialis et 1468 die 1 Octob. inauguratur Episcopus Christopolis et Suffraganeus DD. Roderici Borgia, qui postea fuit Papa Alexander VI, in Ecclesia Valentina administranda, quod munus tenuit usque ad an. 1491, quo valde senex cum opinione sanctitatis ex hac vita migravit. Eodem tempore quo prefati DD. Archiepiscopi Valentini vices gerebat, etiam S. Scripturam publice interpetrabatur, qua occasione praeclaram psalterii expositionem petentibus Valentiae Canonicis publici juris fecit. Haec expositio ut aliorum scriptorum verbis utar, *praeter profundissimam, quae in ea est, omnigenam rerum scientiam et venerabilem styli citra fastidium fluentis claritatem habet hoc peculiare quod (absit verbo invidia) nulla efficacius aut vehementius nos ad christianam pietatem et ut vulgo dicitur devotionem excitet.* Mentionem faciunt de nostrate Jacobo Possevinus App. sac. tom. 2 pag. 83. et Mansi in Bibl. tom. IV pag. 20 ubi inter caetera haec de illo habentur . . . *et ab 1468 Episcopus titularis Neapoleos Trhaciae, sive Christopolitanus, et Suff. Roderici Borgiae etc.* Vide etiam Diction. Moreri tom. 8 pag. 193, Ossinger pag. 683 et Lanteri vol. I pag. 77, et seq. ubi narratur quod illius corpus an. 1549 opera D. Thomae de Villanova fuit ad decentiorem locum translatum. Anno vero 1611 reserato sarcophago ejus lingua et cerebrum nedum integra et incorrupta, verum etiam vivida atque vegeta perinde hominis viventis reperta sunt. Quamobrem DD. Joannes de Ribera tunc temporis Arch. Valentinus de illius vita et miraculis inquisitionem 'fieri praecepit.

Fr. Matthaeus Perez praefati Jacobi nepos, Valentinus, S. Theologiae Magister an. 1479 die 8 Maji electus fuit Aragoniae Provincialis, et postea duabus vicibus in Valentino coenobio prioratum egit. Anno autem 1491 per

obitum patrui sui die 5. Decemb. inauguratur Episcopus Christopolitanus et Suffraganeus Valentinus, eique eodem tempore Generalis Anselmus de Monte Falcone concessit Ecclesiae, et cellarum usum in coenobio Valentino. Peste affectus decessit die 4 Martii 1507 et apud nostrates tumulatus fuit. V. Herr. tom. 2 pag. 78, et Elss. pag. 478.

HISPANI AUG. EP. IN ITALIA.

Praeter laudatos alii procul dubio sunt nostrates Hispani coenobitae, qui intra Ibericae peninsulae confinia pastorale pedum gestarunt, de quibus jam sermonem fecimus agentes de Augustinianis Praesulibus, qui intra Italiam Episcopatum gesserunt, nam ibidem antequam in Hispaniam translati essent sedem habuerant in dioecesibus earum provinciarum, quae tunc temporis Catholicis Regibus obtemperabant. Ad horum autem Regum honorem simul et excusationem si forsitan aliquibus videri possint nimios posthabitis Italis ad Italiae Episcopatus nationis Hispanicae Praesules praesentasse, animadvertere licet Episcopos (saltem nostrates) ab ipsis praesentatos homines fuisse qua doctrinae praestantia, qua morum innocentia, qua demum generis nobilitate valde spectabiles, prout liquido constabit legentibus hujus nostri commentarii partem primam juxta normam sequentis catalogi, in quo reperient etiam nomina aliorum nostratum Hispanorum Episcoporum, qui vel in Italia, vel alibi extra Hispaniam pastoralis officii cursum compleverunt.

Fr. Alphonsus de Balmaseda Ep. Cassani pag. 61.

Fr. Alphonsus Dominguez Ep. Monopolis pag. 115.

Fr. Alphonsus Galeghus Ep. Cajetae pag. 19.

ALII HISPANI AUG. EPISCOPI IN PART. INF.

Fr. Alvarus de Benavente Salmanticae ortum habuit e nobilibus parentibus an. 1646, et in patrio Eremitarum Augustinensium coenobio solemnia vota emisit an. 1663. Jam inde ab adolescentia nedum singularis pietatis, morumque innocentiae, verum etiam ingentis Catholicae Fidei dilatandae zeli luculenta indicia praebuit. Quare cum an. 1668 e Philippinis insulis in Hispaniam novos operarios evangelicos colligere venisset noster P. Isidorus Rodriguez provinciae SS. Nominis Jesu Commissarius, noster Alvarus de Benavente e primis fuit qui delectui nomen dederunt. Ita-

que cum aliis 17 Augustinensibus Manillam appulit an. 1668, ibique theologicis studiis laudabiliter exactis in provinciam Pampangam missus fuit, ubi plures annos cum magno animarum lucro strenuissimum missionarium egit, atque ut aliis quoque missionariis prodesset illius linguae dictionarium et grammaticam composuit. Verum inexpleta illius animas Christo lucrifaciendi cupiditas ampliorem adhuc suis laboribus campum expetebat. Quamobrem una cum alio nostrate P. Joanne Nicolao Rivera ad Sinensium Imperium profectus fuit, atque in provinciam Kiamsi, in qua Christi evangelium nondum annuntiatum fuerat, bini Augustinenses Apostoli se contulerunt. Sedem suam fixerunt in civitate Kao-Kingfu , ibique an. 1681 Christum crucifixum praedicare coeperunt , multisque ad fidem conversis per multos labores, magnam constantiam, invictamque patientiam fundamenta jecerunt missionum Augustinensium apud Sinarum Imperium aedificata ecclesia sub titulo, et protectione SS. Nominis Jesu. Brevi tempore adeo evangelica messis sub horum Apostolorum manibus excrevit, ut alios operarios arcessere Alvarus noster ad Philippinas remeare coactus fuerit. Placuit tamen P. Philippinarum Provinciali selectos missionarios ad Sinas numero quatuor cum eorum duce P. Joanne Verganza mittere, ipsum autem Alvarum ire jussit Matritum provinciae procuratorem agere. Navim itaque conscendit quae illum in Hollandiam transvexit, atque inde Romam divertit, ubi a Summo Pontifice Innocentio XI plura privilegia provinciae Philippinarum impetravit. Procuratoris munere rite perfunctus ad Philippinas an. 1690 reversionem fecit illis evangelicis operariis aliorum 28 Augustinensium commilitonum suppetias ferens. Dum autem post tot jam exantlatos labores tempus jam tandem advenisse putabat quo sibi liceret Deo soli , suaeque animae sanctificationi liberius vacare , praeter omnem expectationem nuntium accepit , quo se

Episcopum Ascalonensem, et Vicarium Apostolicum Kiamsi apud Sinenses a Summo Pontifice constitutum fuisse cognovit. Nonnisi obedientiae virtute, ac studio alias adhuc oves ad Christi ovile reducendi honorem atque onus acceptavit , ideoque cum quatuor sociis ejusdem nostri Augustiniani Instituti iterum ad Sinarum Imperium transfretavit. Ibidem an. 1696 in civitate Nangking per manus DD. Caroli Maigrot Episcopi de Conon episcopalem consecrationem recepit, ac sine mora in suum Vicariatum sui ministerii opus exercere se contulit , totumque se dedit totis viribus pusillo illarum regionum Christi gregi amplificando. Omnibus omnia factus huc et illuc jugiter cursitans evangelicum semen per urbes et oppida disseminabat, catechumenos instruebat, neophytos confirmabat, fidelibus Sacramenta administrabat, infirmis SS. Viaticum afferebat, eisque etiam in extremo agone luctantibus hortator assiduus adsistebat, atque inter haec selectos quoque juvenes scientias ecclesiasticas edocebat ut eos recipiendis sacris Ordinibus idoneos redderet. In celeberrima de Sinensium ritibus controversia antequam Roma locuta esset, et causa finita esset praecipuus fuit defensor sententiae missionariorum Societatis Jesu , eo quia vir salutis animarum percupidus ex eadem sententia uberiorem sperabat conversionum segetem. Ast debita tanti viri cum venia et reverentia animadvertere debemus juxta evangelium Christi homines compellendos esse intrare ad vitam per viam arctam , et angustam non autem per viam latam, et spatiosam; nam si eos per hanc faciliorem et commodiorem viam ducere velimus, non quidem ad vitam, sed e contra ad interitum simul perveniemus. Credamus ergo evangelistis , et quod Deus restrinxit , homo non relaxet. Tandem infulatus noster Macai repentina morte correptus ad immortalem vitam transivit die 20 Martii an. 1709. Nominatur in catalogo nostratis P. Gasparis Cano, necnon a Lanteri vol. 3 pag. 329, Moroni vol. 13 pag. 166, et Gams pag. 130.

Fr. Alvarus de Salas, Burgensis, Episcopus Idumeae obiit an. 1500. In claustro coenobii Burgensis hoc legebatur epithaphium: Hic jacet Dominus Alvarus de Salas Episcopus Idumeae Ordinis Eremitarum S. Augustini. Obiit die XIII Octobris an. MD. Ex Herr. tom. I pag. 41, et Els. pag. 41.

Fr. Bernardus Jordanis, S. Theologiae Magister, qui an. 1427 erat Caesaraugustae, studiorum Regens, an. 1535 consecratur Episcopus Suffraganeus; sed Ord. Regesta silent Episcopatus titulum. Ita Herrera tom. I pag. 108, et Elssius pag. 126. Vide Ord. Reg. ad praefatum an. 1535. pag. 455.

Fr. Martinus Delceran y Urdenas an. 1628 erat Episcopus Paiperelanus, alias Paiperanus in provincia Trapezuntina sub Patriarch. Constantinop. Vide Elssium pag. 194.

Fr. Petrus de Villalobos alias de Villa-Luporum, S. Theol. Mag. Castellanae provinciae alumnus an. 1475, die 12 Julii erat Episcopus Beryti in Phaenicia. Hanc mortalem vitam degebat adhuc an. 1480. Ex Herr. tom. 2 pag. 266, et ex Els. pag. 571.

Fr. Rodericus de S. Martino, patria et religiosa professione Burgensis, S. Theologiae Magister, pluribus vicibus Castellae provincialatum gessit. Anno 1486 inauguratus fuit Episcopus Sebastensis in Cilicia. Dicitur a scriptoribus vir pietate, conversatione, doctrina, ac vitae sanctimonia conspicuus. Debitum naturae persolvit Burgis an. 1491. Vide Herr. tom. 2 pag. 311, Pamphilum fol. 95, et Elssium pag. 608.

PHILIPPINAE INSULAE.

Cum Philippus II Hispaniarum Rex an. 1554 hortatu nostratis Andreae de Urdaneta ingentem classem ad insulas Moluccas (nunc Philippinas) occupandas comparasset, eo quia tunc temporis Catholici Reges *nondum Ecclesiam liberam in Statu libero* proclamaverant, et adhuc Religionem Catholicam flocci facere a *liberalibus* non didicerant, idcirco non militibus tantum et nautis, verum selecta quoque Sacerdotum manu eamdem expeditionem instruxit, ut ipsi lignum aeternae vitae ubique locorum erigerent, ubi regii milites Hispanicum vexillum plantarent. Itaque praefatus Fr. Andreas de Urdaneta qui sub Eremitarum tunica singularem cum nauticae tum bellicae artis peritiam contegebat, quique non parum suis consiliis suaque industria ad felicem expeditionis exitum contulit, eamdem classem e Mexicanis oris solventem cum aliis nostratibus Jacobo de Herrera, Martino de Errada, Petro de Gamboa, et Andrea de Aguirre conscendit. Ubi primum nostrates apostoli (1555) pedem in illis insulis posuerunt, statim Evangelium Christi illis gentibus annuntiare coeperunt tam faustis nimirum auspiciis ut brevi ducenta infidelium millia ad Catholicam Fidem converterint, pluraque etiam Eremitani Ordinis coenobia aedificarint, multasque paroecias erexerint. Anno autem 1575 alii 24 Augustinenses cum ipsorum duce nostrate celeberrimo Fr. Alphonso Guttierez de Vera-Cruce ad illas oras appulerunt, qui omnes tali zelo, ac tanto animarum lucro Catholicam Fidem illic propagarunt ut post aliquot annorum decursum Philippinae insulae paucos tantum gentiles continerent, cum antea nullum prorsus christianum habuissent. Ne suspectam hanc narrationem habeas, consule historiam missionum Henrion edit. Neap. 1854 libr. 2, cap. XIII pag. 28 et seq. Ex eo tempore usque ad praesentes hos dies Augustinenses Hispani ea quae illi

nationi propria est constantia illas remotissimas regiones sudore, ac sanguine irrigare numquam cessarunt. In praesentiarum autem binas habet Eremitanus Ordo Philippinarum insularum provincias, unam scilicet nostratum Calceatorum, quae constat duobus magnis collegiis in Hispania sitis, et tribus coenobiis cum paroeciis circiter 170, quae sunt in illo Indiarum Orientalium arcipelago, et alteram Discalceatorum, qui vulgo Recollecti vocantur, quique duo item in Hispania collegia possident, et in Philippinis coenobia quatuor cum paroeciis circiter 130. Caeterum si Augustinenses juxta laudatum Henrion primi fuere qui apostolatum in Philippinarum arcipelago exercuerunt, non tamen ipsi soli in illa haud certe exigua coelestis patrisfamilias vineae portione laborarunt; nam non ita multo post PP. Dominicani, Franciscani, et Jesuitae illis suppetias iverunt. Episcopi autem illarum dioecesum ut plurimum ex Ordinibus Augustiniano, Dominicano, et Franciscano usque ad haec tempora assumi consueverunt, ut constat ex Gams pag. 113 et seq. Etiam hisce nunc diebus noster P. Ferdinandus Magaz ad episcopatum Nominis Jesu praesentatus fuit, qui tamen hunc honorem admittere noluit, et in ejus locum suffectus dicitur P. Payo Procurator provinciae Philippinarum Ord. Praedicatorum apud Aulam Regiam Matritensem.

Manillae (di Manilla) Aug. Arch.

Fr. Michael Garcia Serrano de Chinchon oppido Toletanae Archidioecesis anno 1592 die 28 Jan. Augustiniano Ordini per solemnia vota se adstrinxit in provincia Castellae. Biennio post cum aliis 14 nostratibus navim conscendit ad Philippinas insulas profecturus, pervenitque Manillam mense Junio an. 1595. Post studiorum curriculum ibidem completum ad Pampangam provinciam missus fuit, ibique

ab an. 1600 usque ad 1605 plures populos spirituali regimine provectioris missionarii instar egregie administravit. Cognita illius singulari agendi dexteritate ad nobiliora illius provinciae munia Michaelem nostrum Superiores evexerunt. Fuit itaque subinde Provinciae secretarius, prior coenobii SS. Nominis Jesu, et Manillensis, ac demum prior provincialis. An. 1614 Romam venit ceu definitor ad capitulum generale, qua occasione suae provinciae apud aulam regiam in Hispania commissarius et procurator constitutus fuit. Biennio post idest an. 1616 die 3 Augusti ad Philippi III postulationem Episcopus Novae Segobiae inauguratus fuit. Absque mora ad suam sedem iturus itineri se commisit, cumque Mexicum pervenisset (hoc tunc temporis erat Hispanis ad Indias Orientales consuetum iter) ibidem episcopalem consecrationem accepit. Illinc postea discedens ad maris pacifici oras perrexit, ibique iterum navi conscensa Manillam appulit mense Junio an. 1617. Binos tantum annos Segobiensem Episcopatum tenuit; nam die 12 Feb. an. 1618 a Paulo V ad Archiepiscopatum Manillensem translatus fuit. Praesul haud vulgari scientia ornatus atque eximia virtute praeditus omnium sibi animos devinciebat, eaque quam sibi apud subditos comparaverat benevolentia ad eorumdem spirituale bonum atque profectum utebatur juxta monitum Pauli arguendo obsecrando increpando verbum Dei praedicando instando opportune importune ut illorum animas Christo lucrifaceret. Optimus pastor forma factus gregis ex animo instar Protoparentis nostri D. Augustini clericos docuit, laicos monuit, devios in viam rectam reduxit, cunctorumque conditionibus salubriter providendo suam Ecclesiam cum ingenti animarum profectu administravit. Potissimum autem claruit liberalitate erga pauperes, quibus quae modicae suae sustentationi supererant libenter atque hilariter erogabat, licet alia pia opera non praetermiserit, inter quae peculiarem mentionem me-

retur ad majorem Dei cultum et honorem promovendum variarum capellaniarum institutio. Disciplinae ecclesiasticae custodiae sedulo invigilavit; quare Archidioecesim sacra visitatione peragravit ut ubi collapsam inveniret illam instauraret, abusus aboleret, corruptos mores corrigeret, Sacerdotum zelum promoveret, atque animarum lucra procuraret, quod ut tutius consequi posset, nonnisi dignioribus paroecias committebat. Supra omnia ferventissima erga SS. Sacramentum pietate ac religione flagrabat, ad cujus honorem valde pretiosum ciborium confecit, quod illius mortis quodammodo occasio fuit. Nam cum mense Decemb. an. 1628 praefatum ciborium una cum SS. Eucharistia sacrilega manu sublatum fuisset ipse tanto propter hujusmodi tam enorme sacrilegium dolore affectus fuit ut deinceps neque pacem neque valetudinem habere potuerit. Ad divinae majestatis offensae remedium aliquod adhibendum statim publicam processionem indixit, cui ipsemet nudipes atque fune ad collum alligato madidus lacrymis interfuit, ac deinde veluti homo requiem non inveniens jugiter clamitabat: *Tulerunt Dominum meum et nescio ubi posuerunt eum.* Post haec in quamdam hypocondriacam affectionem decidit; quare se ab omni hominum consortio removit, atque recessit ad coenobium S. Francisci de Monte, ubi jugibus orationibus, meditationibus, corporisque afflictationibus, atque jejuniis operam dabat, humi cubabat, ac cilicio corporis membra dilacerabat ita ut illius valetudo valde debilitata fuerit. Nostratum precibus motus tandem illum recessum deseruit, atque Manillam rediit nonnisi ut inter suos fratres animam exhalaret, nam ipso SS. Corporis Christi festo die 14 Junii 1629 eodem temporis momento, quo solemnis processio episcopali palatio appropinquabat haec verba proferens: *Domine ecce venio*, spiritum Deo reddidit. In Ecclesia S. Augustini tumulatus fuit. Vide Herr. tom. 2 pag. 86, Els. pag. 490, Gams pag. 114, et Jochimum Martinez in hist. Philip. edit. an. 1803.

Fr. Ferdinandus Guerrero in oppido Alcaraz Archidioecesis Toletanae natus, admodum juvenis in regali S. Philippi Matritensi coenobio solemnia vota emisit an. 1588. Cum apud omnes evasisset regularis observantiae exemplar an. 1595 cum aliis 14 nostratibus zelo dilatandae fidei ad Philippinas insulas navigavit, ubi cum illius gentis linguam didicisset ad provinciam Bisayacam missus fuit, in qua ab an. 1599 ad 1605 varios populos cum ingenti animarum lucro spiritualiter administravit. Postquam ibidem egregium missionarium se ostendisset, superiorum jussu suum zelum exercere perrexit inter Tagalos, quorum linguam antea discendi laborem non recusavit. Anno autem 1613 ivit ad insulam SS. Nominis Jesu (de Zebù) ceu prior nostratis ejusdem tituli conventus, unde an. insequenti in Hispaniam rediit ut praefati Michaelis Garciae Serrano Philippinarum provinciae apud Aulam Regiam procuratoris socium ageret. In ejusdem locum ad episcopatum Novae Segobiae evecti postea successit ut illius officii triennium compleret, quo completo iterum Manillam cum 21 nostratibus profectus fuit. Eo quia apostolicus zelus omnem illi magni oceani fluctuum formidinem abstulerat, quarta vice indicum mare trajecit an. 1625 iterum procuratoris partes explere, quod iter eo libentius suscepit quia novos cupiebat evangelicos operarios colligere, eosque secum ad Philippinas ducere. Cum pervenisset Mexicum (tunc per Americam transibant nostrates Philippinarum missionarii) comperit se ex Philippi III postulatione a Summo Pontifice ad Episcopatum Novae Segobiae promotum esse. Verum quia prae humilitate se hujusmodi dignitatis indignum reputabat, voluit iter Matritum usque prosequi, ac nonnisi post multas amicorum preces expletumque sui Commissariatus triennium mitram acceptavit. Quare iterum navim conscendit ad Philippinarum arcipelagum reversurus summopere laetus quia selectam aliam nostratum 22 missionariorum manum,

qui illis insulis evangelium disseminarent, secum ducebat. Episcopalem consecrationem accepit an. 1628 in SS. Nominis Jesu insula a nostrate DD. Petro de Arce ejusdem loci Episcopo. Septem annis Segobiensem Ecclesiam laudabiliter administravit, post quos an. 1635 die 25 Junii Archiepiscopatum Manillensem adeptus, ibidem intrepidus naviculator eos scopulos, easque syrtes nactus fuit, quas nunquam per tot maria offenderat. Nam exorta inter ipsum, et illarum insularum Gubernatorem quadam circa cujusdam Regularium provinciae divisionem controversia, uti etiam nunc in omnibus fere terrae plagis contigit, civilis potestas a potestate tenebrarum incitata omnimodis libero ecclesiasticae jurisdictionis exercitio obicem ponere sategit. Eo impudentiae ille Gubernator devenit ut Archiepiscopum relegarit, in ejusque locum quemdam administratorem sufficiendum curarit. Quare bonus pastor videns in sua Ecclesia schisma conflari, ad illud impediendum tempori cessit, nec amplius Gubernatoris voluntati restitit. Paucos tantum dies in exilio permansit; nam ad mala graviora vitanda cito inita cum Gubernatore concordia Manillam rediit; verum ad majorem malorum cumulum dum pastoralis visitationis causa insulam Mindori peragraret incidit in piratas Mahometanos, qui illum despoliaverunt prae timore semivivum relictum. Itaque paullo post annis, aerumnis, atque doloribus consumptus ex hac vita migravit die 10 Julii an. 1641, aetatis suae 75. In Augustiniana Manillensi Ecclesia tumulatus fuit. Vide Herr. tom. I pag. 243, Els. pag. 195, Gams pag. 114, et Dictionarium geographicum insularum Philip. Em. Buzeta tom. 2 pag. 275.

Fr. Hilarion Diez ortum habuit Vallisoleti die 21 Octobris an. 1761 ex honestis, copiosisque parentibus Petro Diez, et Maria Fernandez, qui illum scientia ac pietate imbuendum sedulo curarunt. Spretis paternae domus

commoditatibus ac divitiis egregius adolescens saeculo terga vertens apud nostrates in Philippinarum collegio habitum induit an. 1781, et post emissam solemnium votorum professionem studiorum curriculo nondum exacto cum aliis 26 Augustinensibus ad illum arcipelagum navigavit, atque Manillam appulit die 3 Augusti 1786. Ibidem quippe qui singulari mentis acumine, atque rara ingenii praestantia pollebat magno cum profectu studia complevit, atque ut se idoneum Indorum missionarium redderet linguam tagalam alacriter excoluit, eamque adeo rite apprehendit ut brevi illos populos instruere, eisdem evangelizare, eorumque sacramentales confessiones excipere valuerit. Multos annos magno cum animarum lucro inter tagalos adlaboravit, ac postea anno scilicet 1799 eligitur provinciae procurator, 1808 prior Manillensis, et 1818 provincialis. Sui provincialatus tempore anno nimirum 1821 cum popularis libertatis hydra etiam in illis insulis venenatum caput extollere conaretur, et nonnulli quoque ex Regularium coetu incaute ad liberalium placita declinare viderentur, ipse ne male coepta progrederentur fortiter restitit, atque insuper erudita lucubratione, quam publici juris fecit, novatorum tentamina protrivit. Dicitur vir fuisse firmae ac robustae valetudinis, ingenii constantis, atque in rebus ad proprium officium spectantibus prorsus inflexibilis. Cum iis qui infirmitate magis quam animi pravitate ab officio deflectebant se ad veniam pronum atque benignum monitorem ostendebat, cum e contra erga contumaces esset omnino inexorabilis. Singulari religione ac pietate flagrabat praesertim erga SS. Eucharistiae Sacramentum, cujus cultum promovere summopere satagebat, instituta propterea in Augustiniana Manillensi Ecclesia solemni 40 horarum expositione. Ex Ferdinandi VII postulatione a Leone XII die 3 Julii an. 1826 eligitur Archiepiscopus Manillensis, et an. insequenti die 21 Octobris in Ecclesia Ordinis ejusdem civitatis

episcopalem consecrationem accepit annos natus 66. Brevi quo rexit temporis intervallo magnam Archidioecesis partem visitavit, varios abusus de medio sustulit, multis necessitatibus providit, multosque fideles sacro chrismate delinivit. Vitam cum morte commutavit die 7 Martii an. 1830. Ex relatione mihi transmissa a nostrate P. Thyrso Lopez, ex annuariis pontificiis, et Moronio vol. 42 pag. 124.

Fr. Josephus Segui vir fuit apostolico zelo flagrantissimus. Ortum habuit in oppido Camprodon in Catalaunia an. 1773. Ubi 16 suae aetatis attigit annum in coenobio Seo-Urgelii Eremitano Ordini nomen dedit. Adolescens Dei gratia praeventus cum optime nosceret scientiam a Dei timore sejunctam inanem esse, dum litteris sedulam operam navabat, ubique et semper primas partes Dei amori ac timori tribuebat. Studio dilatandae fidei, atque animas Deo lucrifaciendi permotus Philippinarum provinciae se aggregare voluit ut in illis insulis latiorem suo zelo campum inveniret. Itaque ad illum arcipelagum transivit an. 1795, unde non ita multo post cognita illius pro gloria Dei ac salute animarum laborandi cupiditate Superiores miserunt eum ad Imperium Sinense, ubi 20 annorum spatio permansit praedicans Regnum Dei, ac plurimum laborum suorum fructum referens. Quoniam autem homines Dei dummodo illius gloriam quaerant, et evangelicae lucis facem iis splendere faciant qui in tenebris et umbra mortis sedent omnia incommoda aequo animo sustinent; idcirco mirum est quanta nedum patientia, verum etiam alacritate Josephus noster in illa vastissima regione terra marique pericula pertulerit, quot loca inacessa permearit, quot flumina trajecerit, quot sylvas impervias cum vitae discrimine penetrarit, suae incolumitati non consulens ut quaereret et inveniret aliquas aberrantes oves quas ad Christi ovile perduceret, inter medios hujusmodi labores hilarem sem-

per se atque jucundum propter Dei amorem ostendens. Ut magis magisque in paganorum conversione proficere posset, variarum linguarum studium sibi excolendum censuit; quare optime calluit linguas sinensem, anglicam, gallicam, atque italicam, quibus ad facilius atque commodius sui apostolatus ministerium explendum utebatur. Dum autem inter suos Sinenses neophytos jucundam quam maxime ac suavissimam vitam duceret, quippe qui quamvis multis incommodis, atque molestiis jugiter afficeretur, solatium tamen atque conscientiam recte facti habebat, atque aeternae retributionis spe corroborabatur, accidit ut a Superioribus ad Philippinas revocaretur, eo quia propter continuata bella, quae Hispaniam tunc temporis intus et foris dilacerabant, ita pauci in illis insulis nostrates remanserant, ut Sacerdotum defectu Sinarum missiones deserere coacti fuerint postquam per annos plus quam ducentos a tempore scilicet nostratis DD. Alvari de Benavente usque ad 1818 multo sudore ac sanguine illas irrigaverant. Vix dici potest quanto dolore hujusmodi revocatio nostratis Josephi animum affecerit, cujus cordi valde amarum sapiebat tot filios derelinquere quos ipse per evangelium Christo genuerat. Verum oportuit illum superiorum mandatis obtemperare; quare suas cum suorum neophytorum lacrymas commiscens aegro animo navim conscendit ad Philippinas reversurus an. 1818. Cum SS. D. Leo Papa XII tanti viri merita probe nosceret ut innumeros ab illo pro Christi ovili amplificando labores exhantlatos remuneraret, Neocaesariensi titulari Episcopatu illum insignivit ut praefatum nostratem Archiepiscopum Hilarionem Diez in suae Ecclesiae regimine coadjuvaret Consecrationem episcopalem accepit in nostro Manillensi S. P. Augustini templo die 28 Octobris an. 1829. Accidit autem interea ut laudatus Archiepiscopus paullo post ex hac vita migrarit; quare Pius VIII in ejus locum die 5 Julii an. 1830 nostrum

Josephum suffecit, misso ad eum pallio per manus Episcopi Novae Segobiae die 14 Septembris ejusdem anni 1830. Paucis post diebus, idest die 29 ejusdem mensis suae Sedis possessionem iniit in palatium episcopale claustri humilitatem atque paupertatem secum introducens. Retento duntaxat aliquantulo ornatu in aula audientiae in caeteris quidquid a claustrali severitate alienum videri posset penitus eliminatum voluit. Ipsa quoque ipsius vitae ratio talis erat ut non quidem Archiepiscopus, sed simplex coenobita esse videretur. Caeterum erga se ipsum supra modum parcus, erat erga pauperes admodum munificus. Neque intra suae Archidioecesis confinia tantum, verum etiam extra affatim eleemosynarum indigentibus largiebatur, suaeque locupletissimae archiepiscopalis mensae proventuum etiam Barcinonensem, aliosque peninsulae Antistites ultro participes effecit. Cum vir esset singulari animi mansuetudine, atque miti ingenio praeditus peculiari idcirco dissidentes inter sese reconciliandi dexteritate pollebat appellatus propterea Angelus pacis. Supra omnia autem gratum jugiter divinae bonitati coram omnibus se ostendebat, neque unquam a gratiis Deo pro tot beneficiis sibi collatis sincero corde agendis cessabat, inter medios calores, pluvias, discrimina, atque incommoda, quae in frequentibus per illa tropicalia loca itineribus sustinere cogebatur laetus atque jucundus jugiter clamitans: *Todo por Dios y todo para Dios*. Dum optimus pastor varias suae amplissimae Archidioecesis provincias sacrae visitationis causa peragraret in morbum incidit; quare Manillam reverti coactus, ibidem die 14 Junii an. 1845 spiritum Deo reddidit. Ex illius oratione funebri edita a nostrate P. Fr. Stephano Vivet, ex annuariis pontificiis, et ex Gams pag. 113. Moroni autem vol. 42 pag. 124 intra paucorum verborum circulum tria circa nostratem Josephum Segui errata commisit; scribit enim illum patria fuisse Manillensem, parum

in Archiepiscopatu vixisse, illamque sedem longo post ejus obitum tempore vacasse. Insuper praefatis tribus aliud adjungit piaculum omissionis, silet enim nostratis Segui Augustinianam professionem.

Nominis Jesu (di Zebù) Aug. Ep.

Fr. Petrus de Agurto, S. Theol. Magister, nobilis Mexicanus, et illius provinciae alumnus, a tenera adhuc aetate Eremitanum Ordinem amplexus est. Discipulus fuit nostratis Alphonsi de Vera-Cruce, cujus doctrinam et sanctitatem aemulatus illius vices in Mexicana Universitate super theologicam cathedram laudabiliter gessit. An. 1584 cum jam Mexici priorem egisset, eligitur Provincialis, et an. 1595 ad instantiam Philippi II a Clemente VIII die 30 Augusti inauguratur primus Episcopus SS. Nominis Jesu in Philippinis insulis. Episcopatum nonnisi invito animo, atque ex P. Generalis mandato admisit, cunctis enim hujus mundi honoribus ac dignitatibus claustri obscuritatem praeferebat. Vir erat religiosae humilitatis valde studiosus, rebus spiritualibus omnino deditus, austeritatis, et corporis afflictationum amator, qui rudibus vestibus indutus incedere cupiebat, et pro cubili nuda tabula contentus erat. Assidua illi oratio, inexhausta in egenos liberalitas, pro quibus alendis etiam frumenta multiplicasse fertur. Cum aliis 15 nostratibus in suam dioecesim pervenit an. 1598, ubi statim coepit suum pastoralem zelum cum omni alacritate exercere. Catechizabat Indos, ita Elssius, et eis Sacramenta ministrabat. Cum summa cura animarum, subdit Ossinger, pietate, vigilantia, et pulcherrimo vitae exemplo praefuit. Illibatum virginitatis florem usque ad obitum custodivit, qui fuit cum sanctitatis opinione die 14 Octob. an. 1608, ejusque mortalia pignora, ut scribit Herrera, apud nostrates de Zebù condita sunt, eaque post

annum reserato sarcophago illaesa atque intacta reperta sunt, et ex toto corpore odor reddebatur, quia honorat quandoque Deus hisce mirabilibus sanctos suos, praesertim virgines, ut qui corpora servarunt incorrupta dum viverent, e coelo videant illibata a Deo servari post mortem. Vide Nicolaum Ant. Hispalensem tom. 2 pag. 131, ubi nostratis Petri Episcopatum silet, Herreram tom. 2 pag. 254. Elssium pag. 563, et Gams pag. 113.

Fr. Petrus de Arce in oppido Catadiano provinciae Alabensis in Hispania ortum habuit, et an. 1579 adhuc adolescens in Salmanticensi coenobio Eremitanae Familiae per tria consueta vota perpetuo se mancipavit. Paullo post, idest an. 1581 una cum aliis 16 Augustinensibus ad Philippinas insulas profectus fuit, ac post confectum in Manillensi conventu studiorum curriculum se contulit ad provinciam Basayam, ubi ab anno 1587 ad 1596 fideles Panay et Opong spiritualiter administravit. Eodem an. 1596 eligitur Prior conventus Nominis Jesu, et 1599 Manillensis. Hic conventus erat ex ligno confectus, ac proinde comburi facilis, prout revera combustus fuit in solemni funere D. Ronquillo Philippinarum Gubernatoris. Quamobrem noster P. Prior Petrus de Arce eumdem conventum cum Ecclesia ex lapidibus et lateribus construendum suscepit juxta exemplar delineatum a nostrate Fr. converso Antonio de Herrera, qui in hoc aedificio peritissimum architectum se ostendit. Nam ea arte, tantaque soliditate cum coenobium, tum ecclesiam aedificavit ut utrumque sit architecturae miraculum, et vehementioribus terrae motibus inconcussum resistat, prout experimento comprobatum est praesertim an. 1746, et 1863. Id autem magis magisque nostratis Fr. Antonii architectonicam peritiam ostendit quod nimirum monitum fratribus reliquit, quo illos certiores reddebat suum aedificium nullam jacturam a

terraemotuum violentia subiturum si illud a quocumque alio architecto reformari non permittant. Nunc autem ut ad nostrum Petrum de Arce revertamur silentio praeterire non debemus illum duabus vicibus, nempe an. 1602, et 1607 Provincialem renuntiatum fuisse. Tandem an. 1609 die 17 Maji ex praesentatione Philippi III inauguratur Episcopus Novae Caceres, quam tamen ecclesiam nunquam gubernavit, nam ante initam possessionem ad Episcopatum SS. Nominis Jesu translatus fuit. Longo quo praefuit temporis spatio nedum hanc dioecesim, verum etiam totam Manillensem Archidioecesim aliquandiu laudabiliter administravit, idest post obitum DD. Didaci Vasquez, et nostratis Michaelis Garciae Serrano; nam ex S. Pii V decreto hujusmodi administrationis jus trium Archiepiscoporum morte intercedente totidem vicibus ad illum devolutum fuit, licet tertia vice ob debilitatam valetudinem tantum onus recusare coactus fuerit. Intra utriusque dioecesis confinia Augustinensibus Discalceatis plura oppida spiritualiter administranda assignavit, eisque etiam SS. Conceptionis coenobium (di Zebù) extruxit. Rexit cum plausu ab anno 1610 usque ad 1645, quo e sua Sede die 16 Octobr. transivit ad recipiendam a Domino mercedem laborum et meritorum suorum, cum jugiter fuisset tum intra claustrum, tum super episcopalem cathedram vir spectatae probitatis, atque integerrimae vitae. Tumulatus fuit in templo Augustiniano SS. Nominis Jesu. Vide catalogum nostratum coenobitarum prov. Philip. exaratum a P. Gaspare Cano pag. 19. Herreram tom. 2 pag. 270, et 572, M. Sicardum de Christianis Japoniae pag. 80, et 438, et Gams pag. 113, ubi siletur nostratis Petri Augustiniana professio.

Fr. Sebastianus de Foronda patriam habuit Pacem Augustam (Badajoz) in Hispania, ubi primam lucem aspexit an. 1665. Adhuc adolescens Augustinianae insularum

Philippinarum provinciae se aggregavit, et Matriti an. 1683 solemnia vota nuncupavit. Biennio post cum aliis 45 Augustinensibus commilitibus ad illum arcipelagum navigavit, atque Manillae non minus cum plausu quam cum profectu studiorum cursum complevit. Deinde per plures annos, idest ab an. 1689 usque ad 1717 in variis illius regionis paroeciis administrandis suum zelum exercuit, licet interdum parochi officium intermiserit ut praecipua provinciae munera fungeretur. Fuit enim subinde ejusdem provinciae procurator, secretarius, et definitor, itemque Prior Provincialis, ac tandem Prior Manillensis, quod officium tunc temporis magno in pretio habebatur. Cum esset coenobita verae humilitatis amator, qui absconditam cum Christo vitam ducere cupiebat, nonnisi superiorum jussionibus coactus Calydoniae titularem Episcopatum admisit, quem una cum dioecesis Nominis Jesu administratione ex Catholici Regis postulatione Clemens XI die 23 Junii 1718 illi assignavit. Statim illius Ecclesiae regimen suscepit; verum quia tunc temporis illarum insularum episcopales cathedrae vacabant, idcirco ejus consecratio dilata fuit usque ad an. 1724, quo Macaum illam a DD. Joanne Casal accipere se conferre debuit. Ad concreditam sibi Ecclesiam reversus optimi pastoris partes jugiter gessit, ostendens praesertim se aeternae suarum ovium salutis valde sollicitum, in rebus agendis valde cautum ac prudentem, necnon erga indigentes multa liberalitate praeditum. Pro extruendo Augustiniano Nominis Jesu coenobio sex scutatorum millia suppeditavit, magnamque etiam expensarum partem sustinuit pro Cathedralis campanis comparandis. Tandem optimus pastor sui ovibus suis desiderium reliquit moriens in civitate Nominis Jesu die 20 Maji an. 1728. Ex catalogo nostratis P. Gasparis Cano pag. 104, ex Gams. pag. 114, et ex diario romano ad diem 7 Januarii an. 1722.

Fr. Sanctes Gomez Marañon ortum habuit Vallisoleti die 1 Novemb. an. 1763. In ejusdem civitatis Augustiniano collegio solemnem professionem emisit an. 1779. Postea in praefato collegio philosophiam docuit, idemque officium exercere Manillam missus fuit an. 1789. Missionarium subinde laudabiliter egit inter Tagalos, aliosque illius regionis populos. An. 1825 eligitur Provincialis, et 1829 die 27 Septembris renuntiatur Episcopus Nominis Jesu. Episcopalem consecrationem accepit in nostra Manillensi ecclesia per manus nostratis DD. Josephi Segui die 28 Octobris 1830. Valde callebat scientias ecclesiasticas et philosophicas, ac praesertim mathesim, fuitque praeterea architecturae peritus, prout varia aedificia testantur, quae sive quando erat simplex parochus, sive jam infulatus ipsemet delineavit. Obiit in sua episcopali urbe die 23 Octobris 1840. Vide in Diario romano relationem Consistorii 28 Septemb. 1829, Gams pag. 114, ubi siletur Augustiniana nostri Praesulis professio, et Lanteri vol. 2 pag. 374.

Fr. Joseph Ferdinandus Magaz natus in oppido Ampudia dioecesis Palentiae die 19 Martii 1831, in nostrate Vallisoletano insularum Philippinarum collegio Eremitarum Augustinensium tunicam induit an. 1850. Tribus post annis cum aliis 37 sodalibus navim conscendit ad Philippinas profecturus, Manillamque appulit die 8 Januarii 1853. Ibidem cum peculiarem ostenderet concionatoris officio obeundo idoneitatem, hoc munus licet nondum Sacerdotio initiatus post receptum sacrum Diaconatus Ordinem cum plausu exercere coepit. Studiorum curriculum emensus ivit ad insulam SS. Nominis Jesu, ubi Zebuense idioma egregie didicit. Illic varios populos magno cum zelo spiritualiter administravit ab an. 1857 usque ad 1865 quo Zebuensis conventus prioratus illi demandatus fuit. Hoc in loco positus tantam apud DD. Romualdum Ximeno Dominicanum

SS. Nominis Jesu Episcopum gratiam iniit ut hic nedum illum examinatorem synodalem constituerit, verum etiam in suum consiliarium assumpserit, et in suum coadjutorem Episcopum postularit, licet ob quaedam obstacula ex parte Gubernii Hispanici interposita hujusmodi postulatio effectu caruerit. An. 1867 Manillae prioratum obtinuit, quo laudabiliter expleto, in Hispaniam rediit an. 1869 collegii S. Mariae de Vite rectorem agere. Hoc item munere jam ab an. 1873 exoneratus in illo pietatis atque litterarum confugio absconditam cum Christo in Deo vitam degens sacerdotale ministerium sedulo adimplet, praesertim verbum Dei praedicando, fidelium sacramentales confessiones excipiendo, atque in animarum cura illum nostratem parochum adjuvando. Inter haec die 12 Junii hujus an. 1875 epistolium accepit, quo monebatur se a Matritensi Gubernio, annuente ipso Nuntio Apostolico DD. Joanne Simeoni ad Episcopatum SS. Nominis Jesu praesentatum fuisse. Hoc accepto nuncio in summam tristitiam repente decidit, atque sine mora per fluidum electricum respondit se episcopalem dignitatem omnimode declinare. Verum cum per litteras nihil proficeret, ipsemet statim Matritum advolat, ibique coram praefato DD. Simeoni adeo suae promotioni restitit, ut tandem voti compos factus fuerit. In ejus locum suffectus dicitur P. Petrus Payo procurator provinciae Philippinarum Ord. Praedicatorum apud Aulam Regiam Matritensem. Noster Ferdinandus traduxit in Zebuanum idioma pontificiam Bullam Pii IX *Infallibilis Deus* de Immaculata Deiparae Conceptione, quam versionem laudatus Episcopus Ximeno Romam misit. Ex relatione P. Thyrsi Lopez.

Novae Caceres (di Nuova Caceres) Aug. Ep.

Fr. Franciscus de Ortega patriam habuit Castrum Garciae Muñoz in Hispania, patrem autem Joannem de

Ortega, et matrem Catharinam de Aviles. Solemnem professionem emisit Toleti die 25 Septembris an. 1564. Zelo animarum flagrans an. 1566 ad Mexicum navigavit, unde postea an. 1571 ad Philippinas transivit. Ibidem cum multo animarum lucro variis in locis apostolatum exercuit, fuitque primus insulae *Mindoso* apostolus. An. 1574 cum esset Prior Manillensis captus fuit a piratis mahometanis una cum alio nostrate P. Didaco Mejico, e quorum tamen manibus paullo post a militibus regiis erepti fuerunt. In Hispaniam revertitur an. 1580 commissarius et procurator provinciae apud Aulam Regiam constitutus. Eodem anno a Rege Catholico una cum nostratibus Hieronymo Marin, et Joanne Gonzalez de Mendoza ad Imperatorem Sinensium nuncius missus fuit. Iterum in Hispaniam reversus eligitur an. 1587 visitator provinciae Philippinarum, et prior nostratum ad illum arcipelagum mittendorum, e quibus an. 1590 secum 27 Manillam duxit. Eodem anno iterum commissarius et procurator in Europam remeavit, et postea alia vice Philippinarum visitator an. 1598 a Gen. Andrea de Fivizano electus fuit, cum superiori anno etiam visitatoris Mexicanae provinciae munus obtinuisset. Tandem an. 1599 die 13 Septemb. Mexici cum degeret inauguratur Episcopus Novae Caceres in Philippinis. Verum illam Ecclesiam numquam rexit, nam cum post acceptam episcopalem consecrationem proficiscendi tempus praestolaretur in Mexicano coenobio Sacramentis Ecclesiae rite munitus ex hac vita migravit circa finem an. 1601. Ex archivio provinciae Philippinarum, ex Herr. tom. I pag. 242 ubi dicitur in itinere obiisse, ex catalogo P. Gasparis Cano, et ex Gams pag. 114.

Fr. Didacus de Guevara Baezae in Vandalitia ortus, in Salmanticensi coenobio cucullum sumpsit, atque ibidem studiorum curriculum complevit. Zelo Catholicae Fidei pro-

pagandae an. 1593 cum aliis nostratibus ad Philippinas navigavit, unde 1596 in Hispaniam rediit illius provinciae apud Aulam Regiam commissarius et procurator constitutus. Navim conscendit ad Mexicum profecturam una cum nostrate P. Joanne Tamayo; verum exorta tempestate ut inevitabile naufragium declinaret navis ad Japoniae oras appellere coacta fuit. Re ad Imperatorem delata Firandi gubernator qui naufragos tamquam exploratores habebat navim cum omnibus rebus ad illam spectantibus fisco addixit quamvis ipsemet P. Guevara ad naucleri causam tuendam ipsum Imperatorem alloqui se contulerit. Eodem tempore contigit supplicium 27 priorum martyrum Japonensium, cui ipse ocularis testis coram adfuit. Ad Philippinas reverti coactus eligitur provinciae procurator ac postea in variis coenobiis, ac praesertim in Manillensi prioratum gessit. Cum an. 1602 illorum Patrum congregatio statuisset Augustinianam missionem in Bungo Japoniae regno fundare, non alios ad tantum opus aptiores censuerunt quam praefatum P. Didacum Guevara, et P. Eustacium Ortiz, qui prior erat conventus Bolinensis. Pervenerunt Firandum die 12 Augusti an. 1603, ibique praevia Imperatoris licentia primum Augustinianum Japoniae coenobium fundarunt. Dum aedificio praeerant evangelium Christi praedicare non praetermittebant; ast cum perspiceret noster Guevara Vicarii provincialis titulo jam insignitus messem quidem multam esse, operarios autem paucos, relicto Firandi P. Eustacio rediit Manillam ut alios nostrates secum in Japoniam reduceret. Ubi autem Manillam pervenit, accidit omnium Sinensium illic degentium rebellio, quae Hispanicum gubernium forsitan evertisset, nisi noster frater conversus Antonius Florez, idemque P. Didacus Guevara ab aliis praesertim nostratibus adjuti defensorum patrii vexilli antesignanos se constituissent. Illa occasione Philippinarum gubernator nostratem Guevara in Hispaniam

remisit Suae Majestati Catholicae hujusmodi eventuum relationem perferre, eique provinciae illius Patres iterum commissarii et procuratoris apud Aulam Regiam officium commiserunt. Per orientales Indias transiens Romam divertit, ibique suae provinciae negotiis expeditis Matritum se contulit, ubi triennium permansit, quo tempore a P. Revmo Generali fit S. Theolog. Mag. et Philippinarum visitator. Hoc munus gerere ad Philippinas remeavit an. 1610, unde tribus post annis alia vice in Europam redit suae visitationis P. Generali rationem redditurus. Ad instantiam Regis Philippi III die 3 Augusti 1616 inauguratur Episcopus Novae Caceres, alias Camarinae in Philippinis insulis, et an. insequenti post acceptam episcopalem consecrationem suae dioecesis possessionem iniit. In Episcopatu coenobiticam vivendi rationem retinuit, nihilque praeter externum habitum immutavit. Modicus erat in victu ac vestitu, diu noctuque pro animarum salute laborabat, atque assidue orationibus vacabat. Nullum a se nisi contentum dimittebat, ac indigentem neminem vacuum abire sinebat, omnibus sicut Paulus omnia, et gregis forma spectatae vitae exemplis factus ex animo. Tandem plenus meritis in sua episcopali urbe hanc mortalem vitam finivit an. 1621. V. Herr. tom. I pag. 198, Elss. pag. 163, Gams pag. 114, catalogum nostratis P. Gasparis Cano, et P. Emm. Zimenez in praefatione ad vitas nostrorum BB. Martyrum Japonensium.

Fr. Franciscus Zamudio y Avendaño alumnus provinciae Mechoacanensis in Mexico inauguratur Episcopus Novae Caceres die 10 Julii 1633. Paullo post initam suae dioecesis possessionem quasdam quaestiones habuit cum PP. Franciscanis circa jurisdictionem, qui appellarunt ad nostratem Manillensem Archiepiscopum Ferdinandum Guerrero. Hic quippe qui in faciem alicujus non respiciebat,

neque erat apud eum acceptio personarum, Franciscanis judicio favit. Cum idem Archiepiscopus malis gubernatoris Manillensis artibus in exilium ejectus fuisset, et Capitulum Cathedralis per nefas sedem vacantem declarasset, hic Zamudio Archiepiscopatus administrationem a Canonicis acceptare non dubitavit, qua in re illum non laudo. Dicitur fuisse Praesul pastorali zelo magnopere praeditus, licet non semper hunc zelum cum debita prudentia consociarit. An. 1635 a S. Sede delegatus fuit ad dirimendam quamdam controversiam exortam inter Manillensem Archiepiscopum, et quemdam militiae praefectum. Repentina morte occubuit an. 1639. Ex nostrate P. Mag. Joachimo Martinez de Zuniga in hist. Philip. ex Herrera tom. I pag. 243, et Gams pag. 114.

Fr. Nicolaus de Zaldivar, nobilis Hispanus Mexici natus, et ibidem Eremitanum Ordinem amplexus, ad instantiam Philippi IV an. 1639 eligitur Episcopus Novae Caceres, cujus Sedis possessionem adiit an. 1642, rexitque usque ad an. 1646, quo ex hac vita migravit nondum consecratus. Vide Her. tom. 2 pag. 189, Els. pag. 514, et Gams pag. 114.

Fr. Emmanuel Grijalvo ortum habuit an. 1787 die 21 Januarii in Archidioecesi Burgensi in Hispania, et solemnem professionem emisit in Vallisoletano collegio an. 1806. Manillam navigavit an. 1810, atque plures annos in illis insulis in animarum cura suum zelum exercuit. Electus fuit Prior Manillae an. 1829, et Rector Provincialis 1839. Inauguratur Episcopus Novae Caceres die 14 Aprilis 1848, ot consecratur in nostra Manillensi Ecclesia una cum alio nostrate Vincentio Barreyro Episcopo Novae Segobiae. Rexit 12 annos cum omnium amore; nam illius affabilitas, atque morum suavitas cum aliis egregiis doti-

bus, quae eximium Praesulem ornabant, cunctorum animos illi devinxerant. Obiit in Camarinensi episcopali palatio die 13 Nov. 1861 post longam aegrotationem patienter toleratam; quae jam illum antea oculorum visu orbaverat. Vide catalogum nostratis P. Gasparis Cano, annuar. pontif. et Gams pag. 115.

Fr. Balthasar Herrera de Jesu electus Episcopus an. 1672 hic omittitur, quia jam inde ab an. 1658 ad Franciscanos transierat.

Novae Segobiae (di Nuova Segovia) Ep. Aug.

Fr. Facundus de Mesaguer ortus est in oppido vulgo Canet in dioecesi Derthusensi an. 1702. Quindecim annos natus Augustinianae Familiae nomen dedit Valentiae in coenobio S. Mariae de Succursu, ubi solemnem professionem emisit an. 1718. Deinde plures annos Lectoris nomine nostrates alumnos docuit. Verum cathedrae honoribus lucra animarum praeferens cum aliis 23 nostratibus ad Philippinas insulas profecturus navim conscendit, pervenitque ad illas oras die 16 Sept. 1737. Brevi linguam Tagalam didicit, atque inter illos populos suum zelum exercuit usque ad an. 1765, quo ex hac vita migravit die 4 Martii. Erat coenobii Manillensis Prior an. 1750, et Provincialis 1756. Inauguratus fuit Episcopus Novae Segobiae, sed quando illius electionis notitia ad Philippinas pervenit, ipse jam dormiebat in somno pacis. Dicitur fuisse vir doctrina ac probitate spectabilis. Reliquit typis editos duos tomos orationum panegyricarum. Ex catalogo P. Gasparis Cano,

Fr. Vincentius Barreyro ortum habuit Biduidi in Archidioecesi Compostellana an. 1790, et in ejusdem nominis Eremitano coenobio solemnia vota emisit an. 1808. Ad

insulas Philippinas deinde profectus ab an. 1818 usque ad 1847 variis in locis illius regionis sedulum missionarium egit. An. 1835 electus fuit Prior Manillensis, quòd tamen officium recusavit, sicut etiam an. 1846 declinavit praesentationem ad Episcopatum Camarinensem. Verum paullo post, idest an. 1847 die 21 Decemb. postulatus fuit ad episcopalem Cathedram Novae Segobiae et a Summo Pontif. Pio IX Episcopus inauguratus.die 14 Aprilis an. 1848. Solemnis illius, et superius laudati nostratis Fr. Emmanuelis Grijalbo consecratio habita fuit in nostra Manillensi Ecclesia die 28 Jan. 1849. Optimae illius mentis cordisque dotes quibus auctoritatem addebat ipsamet illius staturae proceritas atque conspectus majestas omnibus illum acceptum reddiderunt. Supra modum claruit caritate erga pauperes neque ullum unquam indigentem a se vacuum dimisit. D. Thomam a Villanova imitatus pauper decessit quia pauperibus omnia distribuit. Obiit in suo palatio de Vigan die 17 Maji 1856. Illius obitus omnibus dioecesanis ingentem moerorem attulit. Vide catalogum P. Gasparis Cano, annuar. Pontif. et Gams pag. 114.

Fr. Joannes Josephus Aragones patriam habuit Matritum, ubi primam lucem aspexit an. 1817. Habitum induit in Vallisoletano collegio die 25 Aprilis 1841, et 1845 cum aliis 21 Augustinensibus die 3 Septembris Manillam appulit. Plures annos in Nominis Jesu insula apostolicum ministerium sedulo implevit. Populos quos ipse ceu parochus rexit ita egregie in doctrina sana atque pietate instruxit ut in toto illo arcipelago christiani meliores alibi non invenirentur. An. 1854 erat Prior Manillensis et 1861 Provincialis. Augustinianum coenobium in oppido Oslob a fundamentis erexit, et Manillense cum in spiritualibus, tum in temporalibus melioravit. An. 1854 die 22 Junii ab Isabella II ad Episcopatum Novae Segobiae praesentatus

fuit, quem tamen honorem ipse renuntiavit; verum amicorum precibus victus tandem episcopalem dignitatem acceptavit, et a Summo Pontif. Pio IX Episcopus praefatae dioecesis inauguratus fuit die 24 Martii 1865, eodemque anno in nostra Manillensi Ecclesia consecratus per manus DD. Archiepis. Gregorii Martinez assistentibus ei DD. Romualdo Ximeno Ep. Nominis Jesu, et Francisco Guinza Ep. Novae Caceres. Rexit concreditam sibi Ecclesiam magno cum zelo ac prudentia usque ad an. 1872 quo Novae Segobiae die 15 Augusti spiritum Deo reddidit. Ex relatione P. Thyrsi Lopez, ex annuar. pontif. et ex Gams pag. 114.

Fr. Augustinus Petrus Blaquier Barcinone primam lucem aspexit anno 1749. Duodeviginti annos natus in patrio coenobio Eremitanae Familiae nomen dedit, ubi solemnia vota nuncupavit an. 1769 idcirco Philippinarum provinciae ultro aggregatus, quia verae fidei dilatandae zelo flagrabat. Itaque cum aliis 21 ejusdem Ordinis sodalibus an. 1772 die 27 Julii Manillam appulit ubi magno cum plausu atque profectu studiorum curriculum complevit. Missus postea fuit inter Ilocos, quos populos aliquot annis mira dexteritate, atque zelo vere apostolico spiritualiter administravit. Deinde electus fuit Vicarius Provincialis, et Commissarius S. Officii, in quibus muneribus cum singularis prudentiae, atque spectatae probitatis luculenta specimina exhibuisset, ex Caroli IV postulatione die 20 Julii an. 1801 a Pio VII Episcopatui Novae Segobiae praeficitur. Episcopalem unctionem recepit die 20 Feb. 1803, ac sine mora pastorale officium a sacra visitatione exordiri voluit. Dum autem hanc prosequeretur, quasdam graves offendit doloris, atque molestiae causas, quae illius animum nimis commoveri facilem ita amaritudine repleverunt, ut in lethalem febrim inciderit, quae illum eodem anno 1803

die 30 Decemb. de medio sustulit. Dicitur vir fuisse antiquitatum valde studiosus, multasque collegisse memorias ad Augustinensem Philippinarum provinciam spectantes, quas manuscriptas reliquit. Vide catalogum nostratis P. Gasparis Cano pag. 202, Diarium romanum, Episcologium Eccl. Novae Segoviae, et Gams pag. 114, ubi nostratis Blaquier Augustiniana professio siletur.

AMERICA HISPANICA

Quando conterraneus meus Christophorus Columbus ab omnibus suae aetatis sapientibus ceu somniator habitus, et a cunctis tum Italiae, tum Europae guberniis veluti mente captus rejectus, ast a quibusdam tantum coenobitis adjutus valuit ab Isabella I Hispaniarum Regina classem impetrare, qua ad alteram orbis terrarum dimidiam partem invitis hominibus detegendam pervenit, tunc Eremitanus Ordo nulli fuit secundus in mittendis ad illas recens detectas mundi plagas apostolicis viris, qui evangelium Christi illis tunc ignotae linguae populis praedicarent. Nota sunt omnibus historiam Novae Hispaniae legentibus nomina nostratum Francisci a Cruce, Antonii de Roa, Didaci Ortiz, Andreae de Ortega, Augustini de Corumna, aliorumque innumerorum sodalium Augustinensium, qui multa hominum millia in illis regionibus ad Catholicam Fidem converterunt, multaque etiam templa atque coenobia Eremitaui Ordinis aedificarunt. Haec coenobia prout ad calcem nostrarum Constit. edit. Romae an. 1686 recensentur, plura erant quam centum in quatuor provincias distributa, e quibus partim vocationum defectu praesertim post cessationem matris patriae dominationis extincta sunt, partim autem recentiores *Liberales* sub duce Benedicto Juares Miramonii, et Maximiliani de Austria Imperatoris *fucilatore* in Mexicanis Provinciis de medio penitus sustulerunt, par-

tim demum ad 14 vel 15 numerum redacta adhuc in Meridionali America remanent, ast tamen periclitantur; nam hisce nunc nequissimis temporibus, quibus totus orbis terrarum pertinaciter pugnat contra coenobia et coenobitas, etiam illic messoriae suppressionis falci subjicimur. Inveniuntur enim quoque trans Atlanticum Oceanum quidam magni cuculi, qui aliarum avium nidis frui in deliciis habent. Hi voraces accipitres, qui coenobitarum substantias potissimum appetunt, quia alienas dapes sapidiori embammate satan ipsorum palato condire satagit, adamussim apud Matthaeum cap. 21 describuntur. Ipsi quoque cupiunt occidere haeredes ut habere possint haereditatem eorum, atque ut remordentis conscientiae latratus, si fieri possit, sedare quodammodo valeant, atque ut aliquas inveniant excusationes in peccato usurpationis quoddam ab ipsis noviter inventum microscopium cupiditatis halitu obnubilatum oculis sibi admovent, et sic quaesitas atque praeoptatas maculas in coenobitarum tunica veluti qui in ovo pilum aut in junco nodum reperire student, avidius quam attentius scrutari incipiunt, et ne deficiant scrutantes scrutinio, si festucas in oculis fratrum vident, trabes protinus inspicere putant; aut si revera trabes aliquando detegant, nedum illas augendo amplificant, verum etiam exaggerando multiplicant, unde fit ut si quod vitium in aliquibus deprehendant, illud omnibus commune censeant, et sic integras religiosas familias pro vitiatis ultro habentes si illas penitus delere valeant, arbitrantur obsequium se praestare Deo, non animadvertentes ipsosmet non adeo severos inquisitores in coenobitarum vitae rationem rimandam evadere potuisse, si horum domus aliquid non haberent, de quo post haeredum ejectionem ipsi ejicientes ad libitum disponere possent. Et sic experimento comprobatur veritas Ecclesiastae docentis substantias quandoque conservari in malum dominorum suorum. Verumtamen est Deus in Israel,

qui facit judicium injuriam patientibus, quique cum acceperit tempus justitias judicabit, suntque in Coelis coenobitae justi permulti, qui stabunt in magna constantia adversus eos qui fratres suos angustiaverunt, et qui abstulerunt labores eorum.

Arequipae (di Arequipa) Aug. Ep.

Fr. Petrus de Perea, Hispanus, de Briones in Castella Veteri alumnus fuit coenobii Burgensis, et S. Theologiae Magister, necnon Hispanicae Inquisitionis qualificator. Anno 1608 Romae eligitur Assistens ultramontanus, et 1617 die 4 Septembris ad instantiam Philippi III a Paulo V inauguratur Episcopus Arequipae in Peruvia. Rexit usque ad an. 1631, quo inter vivos esse desiit. Consule Nicolaum Ant. Hispalensem tom. 2 pag. 271. Gams pag. 139 censet illum Episcopum electum fuisse an. 1613, ac vita functum 1624.

Fr. Joannes de Arguelles Limae in Peruvia ortus dicitur a scriptoribus fuisse vir valde bonus. Anno 1699 inauguratus fuit Episcopus Panamensis, quam sedem magno cum zelo rexit usque ad an. 1710 quo Arequipam translatus fuit. Pondus sustinens diei et aestus totam vastissimam Panamensem dioecesim visitavit. Vixit in Episcopatu Arequipae septem annis, et mortuus est. Ex relatione mihi transmissa a nostrate P. Josepho Quintarelli, et ex Gams pag. 139.

Boni Aeris (di Buenos Ayres) Aug. Ep.

Fr. Joannes Baptista Sicardus, Valentinus, S. Theologiae Magister, probitate ac doctrina varias conspicuas dignitates tum intra, tum extra Ordinem sibi promeruit.

Fuit enim variorum coenobiorum prior, Castellae provincialis, Hispaniarum assistens, Catholicae Majestatis concionator, Compluti publicus S. Theologiae professor, tribunalis Nuntiaturae in Hispaniarum Regnis theologus, et examinator. An. 1704 inauguratus fuit Episcopus Boni Aeris, alias SS. Trinitatis in America meridionali. Rexit usque ad an. 1708, quo ex hac vita migravit. Plura opuscula ad pietatem spectantia typis evulgavit, quae habentur in Bibliot. Angelica. Vide Lanteri vol. 3 pag. 83, Gams pag. 140. et Alcedi dictionarium.

Charcarum (di Charcas) Arch. Aug.

Fr. Joannes de Vivero Vallisoleti nobiliter natus post studiorum curriculum in Hispania confectum in Peruviam transivit an 1557. Ibidem plurimos Indos ad Christum convertit, atque hos inter etiam quemdam Regem nomine Sairum Tuparè cum uxore Cusi Huarca sacri baptismatis lavacro regeneravit. Vir fuit orationibus, vigiliis, jejuniis, caeterisque corporis afflictationibus summopere addictus. Catholico Regno optimam praebuit operam; nam cum in illa regione an. 1659 ingens rebellio exorta fuisset, ipse unus fuit e praecipuis tumultuantium pacificatoribus. Nec minus Ordini profuit; nam conventum Cuschi ipse aedificavit, atque Peruanae provinciae fundationem maxime promovit. D. Francisco de Toleto Peruviae Proregi a consiliis fuit pro condendis legibus, quibus Peruanum Regnum regi deberet. Electus fuit prius Episcopus Novae Carthaginis, et postea Arch. Charcarum; verum utramque mitram recusavit, sive ut nostrates scriptores ajunt, ante consecrationem obiit Toleti cum opinione sanctitatis an. 1575. Redierat in Hispaniam tum ut novos evangelicae vineae operarios colligeret, tum ut Philippum II de rebus Americae instrueret. Vide Torellium in Centuriis pag. 578. Lanteri vol. 2 pag. 429, et Gams pag. 160.

Fr. Ludovicus Lopez de Solis, Salmanticensis, S. Theol. Magister, cum jam ab an. 1553 die 9 Maji in patrio coenobio tribus consuetis votis Augustiniano Ordini se perpetuo mancipasset, an. 1558 in Americam profectus fuit. Prioris nomine Limanum conventum regebat an. 1578 et duabus vicibus totam Peruanam provinciam gubernavit. Praeterea fuit in Limana Universitate publicus S. Theologiae professor. An. 1591 a S. Turibio consecratur Episcopus Assumptionis, et die 7 Septembris 1592 ad Quitensem cathedram transfertur. In dioecesibus Quitoae, Limae, et Truxilli altaria 203 consecravit, atque innumeram neophytorum multitudinem sacro chrismate delinivit. Duas in sua dioecesi synodos celebravit, et an. 1601 tertio Limano concilio interfuit. Cum an. 1605 die 18 Julii Charcarum Archiepiscopus electus fuisset ante captam possessionem Limam iterum ad concilium iturus in itinere naturae debitum persolvit. Ab Herrera tom. 2 pag. 15 dicitur vir *eximius et magnarum virtutum*. Consule etiam Henrion edit. Neap. 1854 pag. 105, et Elssium pag. 444.

Fr. Jo. Gaspar de Villaroel, ex Hispania oriundus, ortum habuit Riobambae in regione aequidiali. Eremitanum Ordinem Quitoae ingressus ita in studiis profecit ut S. Theologiae lauream obtinuerit. Fuit subinde Prior conventuum Cuschi, et Limae, necnon Peruviae Vicarius Provincialis. Pro illius provinciae negotiis in Hispaniam venit, quo tempore quippe qui eximii oratoris nomine celebrabatur, apud Aulam Regiam magno cum plausu conciones habuit. An. 1637 inauguratus fuit Episcopus S. Jacobi in Cilensi provincia, unde postea an. 1651 Arequipam, et 1658 Charcas translatus fuit. Cum in S. Jacobi civitate Episcopatum gerebat urbs illa magno terraemotu corruit; qua occasione noster Joannes Gaspar se charitatis heroem ostendit. Ob suam doctrinam, atque litterarios exantlatos labores scrip-

toribus ecclesiasticis accenseri dignus habitus fuit. Vitam hanc cum meliori commutavit die 10 Octob. 1665. Vide Lanteri vol. 2 pag. 277, ubi illius scripta recensentur, et Gams pag. 160.

Cuschi (di Cuzco) Aug. Ep.

Fr. Martinus Montalvo, Hispanus, S. Theologiae Magister, et in Salmanticensi Universitate ejusdem disciplinae, et S. Scripturae professor, vir fuit multa doctrina atque eruditione ornatus, qui sua aetate inter praecipuos Hispaniae theologos habebatur. Postquam Salmanticensis coenobii prioratum, et Castellae provincialatum laudabiliter gessisset, an. 1664 inauguratur Episcopus Pacis in Peruvia, ubi mansit usque ad Decemb. 1668, quo ad meliorem stationem migravit jam ad Cuschensem Ecclesiam translatus cujus propterea possessionem nunquam adivit. Ex nostrate Emm. Vidal in hist. conventus Salmanticensis, et ex Gams pag. 147, qui illius Pacensem Episcopatum penitus nescire videtur.

Fr. Josephus Callistus de Orihuela, Peruanus, S. Theol. Magister ex opulenta familia ortus, celebris fuit concionator, atque theologus qui sacrorum canonum peritia non caruit. An. 1819 die 31 Martii inauguratur Episcopus Calamensis (in Africa) et quamvis dignitatem recusasset, erat enim vir sincerae pietatis, multaeque humilitatis, tamen an. 1820 die 9 Julii, ut ipsemet in Hispaniam scripsit ad nostratem Jo. Josephum Muñoz, episcopalem consecrationem recipere debuit. An. 1821 die 27 Junii ad Ecclesiam Cuschensem translatus fuit, et mense Septembri 1822 ad praefatum Muñoz rescripsit conquerens se in illa dioecesi multos tribulos ac spinas invenisse, ad quas evellendas suos labores suosque conatus haud sufficere vehe-

menter dolens eidem cogitatum suum de Episcopatu abdicando patefaciebat. Et revera paullo post episcopale pedum dimisit, et in nostram Limanam exercitiorum domum se recepit. Hactenus invenire nequivi diem obitus ejus. Ob singularem morum innocentiam, atque ingentem spiritus fervorem pro viro sancto ab omnibus habebatur. Vide Lanteri vol. 3 pag. 355, Gams pag. 147, et Diarium romanum ad diem 31 Martii 1819.

Durangi (di Durango) Aug. Ep.

Fr. Gundisalvus de Hermosillo, Mexici natus, apud Eremitanum Ordinem evasit vir magni nominis propter egregias virtutes, magnam doctrinam, atque multos exantlatos labores. In Mexicana Universitate primarius fuit S. Scripturae professor. An. 1620 die 12 Octob. a Paulo V inauguratur primus Durangi Episcopus. Suam Ecclesiam laudabiliter rexit usque ad an. 1631, quo dum sacram visitationem perageret die 20 Januarii ex hac vita migravit. Vide Herreram tom. I pag. 305, Elssium pag. 267, et Gams pag. 148.

Guadalaxarae (di Guadalaxara) Aug Ep.

Fr. Petrus Suarez de Escobar Metelini in Extremadura nobilibus parentibus ortus, ubi 13 suae aetatis attigit annum Eremitano Ordini nomen dedit, apud quem proficiens aetate multo magis profecit doctrina ac sanctitate. In Mexicum cum profectus fuisset aliquot annis in illa Universitate primariam S. Theologiae cathedram cum plausu moderatus fuit. Sanctitatem autem ejus iisdem fere verbis ita describit Elssius: Claruit heroicis virtutibus, admirabili poenitentia, atque oratione assidua; media nocte semper surgebat ad confitendum Domino, atque longum in sacro

faciendo tempus consumebat, ac propterea nondum apertis Ecclesiae januis Missam celebrabat. Erga SS. Eucharistiae Sacramentum singulari religionis affectu flagrabat, atque inter orandum prae nimia piorum sensuum exuberantia totus in lacrymas effundebatur. Indumentis ex vili et rustico panno et cilicio ad nudam carnem admoto usque ad obitum usus fuit. Annis 25 tantum arborum fructus et herbas pro obsonio adhibuit atque tempore quadragesimae et adventus, necnon in vigiliis Deiparae, et quorumdam Sanctorum, quos ipse praecipue colebat, pane duntaxat, et aqua contentus erat. Stratum illi nuda tabula, cervical autem durus caudex praebebat. Inter haec diram Daemonis insectationem perpessus fuit, qui etiam, ut ipsemet suo confessario patefecit, visibili specie amictus non semel illi apparuit. Item Petrus noster magno flagrabat animarum zelo; quare Evengelium illis populis lingua Mexicana praedicans plurimos Indos ad Catholicam Fidem convertit. Variis conventibus prioris nomine praefuit, totamque Mexici provinciam duabus vicibus ea qua eminebat prudentia ac sanctitate moderatus fuit. An. 1590 ad instantiam Philippi II eligitur Episcopus Xalisci alias Guadalaxarae; verum ante acceptam episcopalem unctionem ad meliorem sedem transivit, illiusque exuviae veluti hominis pro sancto habiti apud oppidum Tlayacapan reconditae fuerunt. Post illius obitum ejus confessarius ad majorem Dei gloriam testatus est illum toto vitae suae tempore numquam virginalis integritatis jacturam fecisse. Vide Lanteri vol. 2 pag. 366, ubi illius scripta recensentur, Torellium in Centuriis pag. 617, et Gams pag. 149.

Guamangae (di Guamanga) Aug. Ep.

Fr. Augustinus de Carvajal, in urbe Cacerensi in Hispania ortus, apud ordinem alumnus fuit provinciae Ca-

stellae in qua Vallisoletani coenobii prioratum obtinuit, eodemque tempore nempe an. 1605 electus fuit Episcopus Panamensis, cum antea an. scilicet 1595 Hispaniarum Assistens renuntiatus fuisset. Anno autem 1612 die 7 Martii pro Panamensi Episcopatum Guamangensem in Regno Peruano accepit. Hanc sedem reliquit an. 1620, quo ad meliorem vitam transivit. Ab Elssio pag. 91 dicitur: vir in rebus Ordinis expertissimus. Vide etiam Herreram tom. I pag. 48, et Gams pag. 150.

Fr. Antonius Conderina de Bellumvado (di Bilbao) alumnus fuit conventus Vallisoletani. Cum esset in Hispania S. Inquisitionis qualificator an. 1630 die 22 Junii eligitur Episcopus S. Marthae in provincia Novae Granatae, unde an. 1640 Guamangam translatus fuit. Ubi tamen ad suam novam Sedem pervenit, in dementiam incidit. Illius immediatus successor, qui fuerat antea coadjutor, constat an. 1650. Vide Herr. tom. I pag. 48, Els. pag. 70, et Gams pag. 150.

Fr. Josephus Ludovicus de Lila ortum habuit in urbe de Panama; seu potius, ut habet Diarium romanum, in Archidioecesi Limana in Peruvia. Apud Eremitanum Ordinem evasit vir probatae virtutis, atque singularis meriti. Anno 1764 die 20 Augusti inauguratur Episcopus Guamangae, eique jam Episcopo electo Rm̃us P. Generalis Franciscus Vasquez in amoris praecipui perenne documentum aere excusam imaginem dedicavit, quae repraesentat Episcopum magnae proceritatis, atque venerandi conspectus. Debitum naturae persolvit an. 1769. Vide praeter Diarium rom. etiam annuar. pontif. Gams pag. 150, et Dictionarium Americanum Alcedi.

Guatimalae (di Guatimala) Aug. Ep

Fr. Joannes Zapata y Sandoval ex clariori Mexici nobilium progenie ortus, cujus mater in Mexicano S. Monicae monasterio vitam finivit, in patrio S. Augustini coenobio cucullum induit. Lauream magistralem adeptus 12 annos in Mexicana Universitate S. Theologiam docuit, ac postea in Hispaniam navigavit, ubi constitutus fuit Regens studiorum in coenobio Vallisoletano, et publicus S. Theologiae professor in ejusdem urbis Universitate. Ob egregias illius dotes Paulus V an. 1613 die 13 Novemb. promovit eum ad Episcopatum Chiapensem, unde an. 1621 die 13 Septemb. Gregorius XV Guatimalam illum transtulit. Dicitur a scriptoribus vir humanis divinisque scientiis instructus, subtilis ingenii, necnon doctrinae atque eruditionis singularis. Decessit die 9 Januar. 1630. Vide Nicolaum Ant. in Bibl. Hisp. tom. I pag. 613, Herr. tom. I pag. 444, Gams pag. 151, et Ossinger pag. 977, ubi ejus scripta recensentur.

Jucutanae (di Jucutan) Aug. Ep.

Fr. Gundisalvus de Salazar a Gams pag. 167 dicitur *sanctus et magnus pastor*. Patriam habuit Mexicum, ubi Eremitanae Familiae nomen dedit. Cum in Mexicanis provinciis innumeros infideles jam ad Christi fidem convertisset a Philippo III arcessitus in Europam venit et an. 1608 die 2 Junii a Paulo V ad Jucatanensem Episcopatum promovetur. Episcopus inauguratus magis magisque suum apostolicum zelum auxit, atque indefessa verbi Dei praedicatione innocentis vitae cooperantibus exemplis viginti millia idolorum delevit, atque innumeros idololatras ad veram Fidem perduxit. Quamobrem ipsemet Paulus V per apostolicas litteras illius zelum commendavit gratulans

ei de tanta idolorum multitudine deleta, deque tam ingenti paganorum numero ad ovile Christi perducto. Claruit etiam singulari munificentia in pauperes; quare cujusdam magnae penuriae tempore quatuor egenorum millia aluit. Quando accepit Episcopatum invenit in tota Jucatanensi dioecesi ex indigenis decem tantum catholicorum millia, qui parvus numerus post assiduas illius curas, improbosque labores tempore obitus ejus excreverat ad millia plus quam centum quinquaginta. Obiit autem praesul de Catholica Religione optime meritus die 3 Augusti an. 1636. Vide hist. missionum Henrion edit. Neap. 1854 lib. 3 pag. 524, Moroni vol. 37 pag. 6, Lanteri vol. 3 pag. 157, et Gams pag. 167.

Fr. Antonius Arriaga y Aguero, Hispanus, cum esset rector Matritensis collegii D. Mariae de Aragonia an. 1696 die 18 Aprilis ob insignem doctrinam, et probitatem inauguratur Episcopus Jucatanensis. Episcopalem consecrationem accepit Angelopoli (in Puebla) in Mexicana regione; ast cum ad suam Dioecesim iter faceret, in oppido Carrion mortalis peregrinationis cursum confecit die 24 Nov. 1698. Ex Alcedo in dictionario Americae, et ex Gams pag. 167.

Fr. Ignatius de Padilla y Estado Mexici primam lucem aspexit an. 1688. Eremitanum Ordinem ingressus pluribus nominibus apud illum floruit. Nam fuit studiorum Regens, S. Theol. Magister, rector nostratis celebris D. Pauli collegii, provinciae secretarius, et visitator, necnon procurator generalis provinciae Novae Hispaniae apud Aulam Regiam Matritensem, et apud Romanam Curiam. An. 1743 die 25 eligitur Archiepiscopus S. Dominici (di S. Domingo) unde an. 1753 die 28 Maji ad Ecclesiam Jucatanensem translatus fuit Archiepiscopali titulo retento. Strenuissimus fuit jurium episcopalium defensor, ac potis-

simum claruit liberalitate erga pauperes, atque in decore domus Dei promovendo magnificentia. Suis expensis in Jucatanensi cathedrali templo altare majus erexit, atque elegans extruxit ciborium pretiosis gemmis ornatum. Ad haec ven. monasterio monialium SS. Conceptionis copiosam pecuniarum opem tulit. Ex hac vita migravit meritissimus Antistes die 20 Julii an. 1760. Vide Alcedi dictionar. Americae, Diarium rom. annuar. pontif. et Gams pag. 167.

Limae (di Lima) Aug. Arch.

Fr. Ferdinandus de Vera nobilis Hispanus, ad instantiam patrui sui DD. Beltrandi de Guevara Ep. Pacensis, et regii Italiae Senatus in Curia regali praesidis, ac deinde Arch. Compostellani, die 17 Feb. 1614 creatur Episcopus Bugiae, et administrator Ecclesiae Pacensis, et postea Compostellanae. An. autem 1628 die 12 Julii fit Arch. S. Dominici; ast die 30 Aprilis 1629 ante acceptam possessionem transfertur Cuschum in Peruvia. Tandem eodem an. 1629 fit Archiepiscopus Limae; verum citius quam ad hanc sedem pervenit in regionem immortalitatis. Vide Herr. tom. I pag. 244, Els. pag. 194, et Gams pag. 147.

Mechoacanae (di Mechoacan) Aug. Ep.

Fr. Alphonsus Guttieres de Vera Cruce, teste Card. Baluffi in hist. Americae Hispanicae tom. 2 pag. 95 fuit fulgentissimum lumen, quod per omnes Mexicanas provincias, fugatis ignorantiae tenebris, divinarum humanarumque scientiarum splendorem longe lateque diffudit, quippe qui revera fuit primus scholarum Mexici auctor atque fundator, necnon rector, atque professor omnigena eruditione instructus. Cum e sua Hispania ad Mexicanas oras appulisset, nostratis V. Francisci a Cruce, qui unus fuit e primis

Mexicanorum apostolis, sanctissimae vitae exemplis excitatus in coenobio Verae Crucis Augustinianum habitum induit. Non ita multo post e suggestu ad populum verba facere, atque e cathedra docere aggreditur, tanto nimirum omnium plausu ut universim novi Mundi lux et Indiarum Occidentalium apostolus diceretur, et revera esset. Mexicanam Universitatem fundavit, collegiumque Augustinianum D. Pauli erexit, e quo plures eximii viri doctrina ac pietate praestantes prodierunt, in eoque locupletissimam bibliothecam collegit. An. 1556 in Hispaniam rediit ut coenobitarum in America degentium causam apud Philippum II defenderet, nam etiam tunc temporis aderant ubique locorum filii Belial, qui coenobiis acerrimum bellum inferebant. Hac occasione Alphonsus noster non solum quod expetebat obtinuit, verum etiam tantam apud praefatum Regem gratiam iniit, ut ad binos Americae conspicuos Episcopatus nempe Mechoacanensem, et Thlascalensem illum praesentare voluerit; verum humillimus coenobita, qui nedum doctrinae fama, verum etiam sanctitatis splendore eminebat, utramque mitram recusavit. In Mexicum reversus inde ad insulas Philippinas cum aliis 24 nostratibus Hispanis navigavit, ut illic etiam suum apostolicum zelum exerceret. Postea autem item in Hispaniam venit, ubi biennium regalis S. Philippi coenobii prioratum gessit. Tandem cum sanctitatis opinione obiit Mexici an. 1574. Vide Henrion tom. I pag. 493, Torellium in Centuriis pag. 600, Ossinger pag. 424, Gams pag. 155, Thomam Gratianum in Anastasi pag. 22, et Lanteri vol. 2 pag 219, qui ejus scripta refert.

Fr. Didacus de Chaves (de Clavibus) in urbe Pacensi in Hispania e nobilissimis parentibus ortus, paternum genus e gente de Chaves, maternum autem e progenie de Alverada trahens, anno 1595 in Mexicano coenobio Ere-

mitanae Familiae nomen dedit. Factus eremita evasit vir insignis poenitentiae, atque singularis mortificationis, qui jugibus vigiliis, jejuniis, caeterisque hujusmodi corporis afflictationibus operam dabat. Supra modum autem excelluit amore paupertatis, studio orationis, atque religione erga SS. Eucharistiae Sacramentum. In variis coenobiis magno cum regularis disciplinae profectu prioratum gessit. Illius sanctimoniae fama ad aures pervenit Catholici Regis Philippi II, qui propterea an. 1572 ad Episcopatum Mechoacanensem illum Summo Pontifici praesentavit. Nonnisi obedientiae virtute obstrictus episcopale onus admisit. Verum ante acceptam consecrationem an. 1578 die 14 Feb. ad meliorem stationem transivit. Vid. Her. tom. I pag. 197. Els. pag. 163, et Gams pag. 155.

Fr. Joannes de Medina cognomento Rincon e nobilibus parentibus D. Antonio Ruiz de Medina, et D. Catharina de la Vega Segobiae in Hispania ortum habuit an. 1530. Duodecim annos natus in Mexicano coenobio an. 1542 (illius pater in Mexicano regio Senatu Fisci Regii praefectura fungebatur) Augustinianum habitum induit. Dicitur a scriptoribus S. Theologiae Magister doctissimus, et solers ac insignis verbi Dei praeco. An. 1566 invitus et reluctans eligitur Provincialis et 1573 ad Philippi II instantiam inauguratur Episcopus Mechoacanensis, sed quia vir erat paupertatis et quietis religiosae amator munus Episcopale recusare cupiebat; verum superiorum jussu quamvis aegro animo et non absque lacrymis tandem admisit. Quindecim annos illam Ecclesiam sancte gubernavit. Singulares quae in nostrate Joanne sive sub modio humilitatis religiosae latenti, sive super candelabrum episcopalis dignitatis posito virtutes emicuerunt potissimum sunt affabilitas in conversando, mensae parcitas, lecti durities, chori assiduitas, orandi frequentia, eleemosynarum liberalis largitio, atque

domus suae provida gubernatio. Nunquam egenis verecundantibus minus quinquaginta argenteis (pesos) ponderibus donavit, et tempore Concilii Mexicani quatuordecim millia ponderum argenteorum in pauperes erogavit, atque morti proximus instar D. Thomae a Villanova omnia omnino indigentibus distribuit. Lineis vestibus numquam usus fuit, nec culcitram in lecto adhibuit. Quamvis esset Episcopus munus tamen missionarii agens totam illam vastissimam regionem percurrebat, improbosque labores subiens, ac pondus diei et aestus jugiter sustinens plurimorum animas verbo et exemplo Christo lucrifecit. Meritis tandem plenus Mechoucana transivit ad recipiendam mercedem laborum suorum an. 1588. Tumulatus fuit in Cathedrali Ecclesia. Vide Herr. tom. I pag. 506, Nicolaum Antonium Hispal. tom. I pag. 567, Gams pag. 155, Ossinger pag. 572, Henrion tom. I pag. 403, et Lanteri vol. 2 pag. 305, qui illius scripta refert.

Fr. Balthasar de Cobarrubias, Mexicanus, nepos fuit D. Didaci de Cobarrubias y Leira magni quondam Castellae Praesidis. Propter suarum virtutum, atque doctrinae famam an. 1601 die 10 Decemb. creatur Episcopus Assumptionis in provincia Fluminis Argentei, unde an. 1603 die 13 Feb. ad Ecclesiam Çacerensem translatus fuit. An. autem 1605 die 6 Junii eligitur Antistes Antequerae, pro qua sede an. 1608 die 4 Feb. Mechoacanensem Cathedram accepit. In cunctis praefatis dioecesibus ostendit se pastorem multo zelo atque prudentia praeditum. Translatus fuit tandem de Episcopatu ad tumulum die 28 Julii 1622. Vide Herr, tom. I pag. 108, Gams pag. 155, et Moroni vol. 44 pag. 66.

Mexici (di Messico) Arch. Aug.

Fr. Pelagius Afan de Ribera (vulgo Pajus) ortum habuit Hispali ex nobiliori illius urbis familia. Illius pater, qui fuit Ferdinandus Dux de Alcalà, et Marchio de Tarifa, Neapolis et Siciliae Prorex, voluit eam institutionem filio tradi, qua idoneus fieret alicui civili, aut militari conspicuo muneri exercendo. Verum nobilis ephebus qui aliter omnino ac pater in corde suo cogitabat, omnibus mundi pompis ac divitiis humilitatem cuculli praeferre deliberavit. Quippe qui summopere cupiebat se totum infidelium conversioni procurandae mancipare, caeteris Ordinibus nostrum Augustinianum praetulit, eo quia tunc temporis multos videbat apostolicos viros ex Augustinianis coenobiis in Americam transmigrare. Itaque in patrio conventu habitum sumpsit data opera sui generis nobilitatem occultans ne aliter ac caeteri fratres tractaretur. In studia autem ita proficiebat ut si quando magistri consuetas praelectiones habere aliquo negotio impedirentur, id officii nostrati Pelagio committerent, qui illud cum omnium condiscipulorum plausu explebat. Studiorum curriculo confecto aliquandiu in Hispania concionatoris munus laudabiliter exercuit, et nostrates alumnos docuit Burgis, Vallisoleti, atque Compluti, lauream que doctoralem in Oxomensi Academia accepit. Praeterea fuit variorum conventuum prior, nostratis magni Matritensis Dominae Mariae de Aragonia collegii rector, atque S. Inquisitionis qualificator. Postea, prout ipse semper praeoptabat, in Americam missus fuit, atque in provincia Guatimalensi ad excolendam, atque amplificandam vineam Domini sedulo adlaboravit. Ibidem sua scientia, suisque egregiis virtutibus cum populi, tum cleri benevolentiam atque existimationem sibi comparavit; quinimmo tantam apud Episcopum gratiam iniit ut illum in suum intimum consiliarium assumpserit. Hoc autem Episcopo vita

functo Ferdinandus noster jam omnium votis expetitus aliquot post annis (1657) ad instantiam Philippi IV Guatimalensis Episcopus inauguratur, quam dignitatem nonnisi superiorum mandatis coactus admisit. In Episcopatu coenobitae humilitatem retinuit, nec dignitatis splendore in superbiam se efferri permisit; indefessus fuit illius animarum zelus, sollicita atque assidua episcopalium officiorum custodia, dum pastoralem visitationem perageret admirabilis in quibuscumque incommodis perferendis patientia, ac demum Episcopatus honorem sustinendi studium impensum. Supramodum autem ab omni omnigenorum munerum acceptione abhorrebat. An. 1667 cum summo suarum ovium dolore optimus pastor Mechoacanam translatus fuit, quo ut pervenit ea qua pollebat animos sibi devinciendi dexteritate quasdam inter clerum et populum, atque inter ipsosmet Cathedralis canonicos inveteratas discordias, quae non parum Religioni damni, atque saluti animarum discriminis afferebant penitus de medio sustulit. Quae res tantam apud illos populos illi existimationem atque benevolentiam conciliavit ut in posterum omnem cujuscumque generis controversiam ipsius arbitrio dirimendam ultro subjicerent. Neque vero Pelagius noster Mechoacanensi Ecclesiae in spiritualibus tantum, verum etiam in temporalibus summopere profuit. Nam et cathedrale templum, et multas in tota dioecesi paroecias munificus Antistes suis expensis instauravit. Brevi tamen tempore mansit Mechoacanae; nam an. 1668 ad Mexicanum Archiepiscopatum evectus fuit, ubi etiam veluti angelus pacis discordes canonicorum animos ad mutuam concordiam reduxit. Ibidem fundationem promovit congregationis laicorum infirmis in xenodochiis ministrantium, qui vulgo Bethleemmitici vocantur, eisque regulam S. P. Augustini tradidit, ejusdem congregationis apostolica approbatione obtenta. Sui Archiepiscopatus tempore Mexicani Pro-Regni regimen vacavit, quod munus

ipsi an. 1673 demandatum fuit. Onus quidem ut Ecclesiae magis magisque prodesse posset admisit vigilantissimus Praesul, emolumentum autem omnimode recusavit. Tenuit itaque etiam temporalem Mexici administrationem circiter septem annos, post quos an. 1680 hanc una cum Archiepiscopatu ultro dimisit, atque in Hispaniam reversionem fecit non quidem Pro-Regis pompam ac divitias, sed dumtaxat coenobitae humilitatem et paupertatem secum ferens. In patriam peninsulam vix appulso statim offertur ei Episcopatus Conchensis, atque Indiarum regii Consilii praefectura; utrumque tamen honorem religiosae quietis amori posthabuit. Quocirca ut soli Deo sibique vacaret ad Augustinianum Nostrae Dominae de Risco coenobium in quadam dioecesis Abulensis solitudine situm se contulit, ibique inter assiduas orationes atque spiritualia exercitia vixit usque ad diem 10 Aprilis an. 1683, aetatis suae 74, quo Ecclesiae Sacramentis roboratus pretiosam in conspectu Domini sanctorum mortem oppetiit. Vide Biograph. Ecclesiast. Hisp. tom. I tit. A, Lanteri vol. 3 pag. 183, Gams pag. 155, Nicolaum Ant. Hispal. tom. 2 pag. 130, et Ossinger pag. 129. An. 1653 praelo mandavit opusculum lingua hispanica exaratum de immaculata Deiparae Conceptione.

Nicaraguae (di Nicaragua) Aug. Ep.

Fr. Hieronymus de Escobar, Toletanus, vir nobili genere ortus, cum in Peruviam trajecisset, in Limano coenobio Eremitanae Familiae nomen dedit an. 1566. Postea evasit egregius verbi Dei praeco, qui in convertendis populis vallis de Pascamajo ingenti cum profectu apostolicum zelum exercuit. Unus fuit e fundatoribus nostratis coenobii S. Mariae de Guadalupa in Peruvia. In Hispaniam reversus ex Philippi II postulatione eligitur Episcopus

Nicaraguae, et Matriti consecratur an. 1592. In oppido *Sanlucar* navim conscendit ad suam dioecesim profecturus; verum suborta maris tempestate in urbem Gaditanam appellere cogitur. Ibidem gravi morbo corripitur, cui succumbere debuit. In Cathedrali tumulatus fuit. Vide Herr. tom. I pag. 846, Elss. pag. 288, Gams pag. 157, et alium nostratem Antonium de la Calancha lib. 3 hist. prov. Peruanae cap. 15 pag. 608 ubi dicitur *vir magnae abstinentiae, multae orationis, poenitentiae, et misericordiae in pauperes.*

Fr. Dionysius de Villavicencio, Hispali in Hispania ortus, apud Eremitanum Ordinem fuit S. Theologiae Magister, et Vandalitiae Provincialis, ac die 6 Julii an. 1726 inauguratur Episcopus Nicaraguae. Rexit usque ad an. 1735, quo ex hac vita migravit die 25 Decembris. Vide Diarium rom. Gams pag. 157, et Lanteri vol. 3 pag. 372.

Fr. Matthaeus de Navia y Bolaños ortum habuit Limae in Peruvia die 5 Augusti an. 1720. In patrio coenobio Eremitanum Ordinem ingressus, apud eumdem per consuetos gradus lauream magistralem adeptus fuit. Vir fuit egregiis mentis cordisque dotibus instructus, qui cum in Europam navigasset, tantam apud Catholicum Regem gratiam iniit ut ab illo ad Episcopatum Nicaraguae postulatus fuerit. Anno itaque 1757 die 26 Septembris a Summo Pontifice Clemente XII Episcopus inauguratur. Praesul sui officii memor laudabiliter suam Dioecesim administravit usque ab an. 1762, quo dum pastorali visitationi operam dabat, Novae Granatae die 2 Feb. vitam cum morte commutavit. Vide Diarium romanum, annuar. pontif. et Gams pag. 157.

Pacis (de la Paz) Aug. Ep.

Fr. Franciscus de la Serna Guanuci in Peruvia ortus cum Eremitano Ordini nomen dedisset, apud eumdem evasit S. Theol. Magister, et duabus vicibus Provincialis. Praeterea fuit in Limana Universitate S. Theologiae professor, necnon S. Inquisitionis qualificator. An. 1635 die 7 Augusti creatur Episcopus Paraguayensis, unde paullo post idest an. 1639 ad Ecclesiam Papayanensem transfertur. Nec tamen in hac dioecesi suam sedem fixit; nam an. 1646 hanc relinquens Ecclesiam Pacensem obtinuit. Eodem anno ante acceptam novae sedis possessionem ad meliorem vitam transivit. Vide Herr. tom. I pag. 244, Els. pag. 205, et Gams pag. 159.

Panamae (di Panama) Aug. Ep.

Fr. Didacus de Salinas y Cabrera an. 1742 electus Episcopus Panamensis dignitatem recusavit. Vide Gams pag. 158, et Alcedi dictionarii continuationem.

Popayanae (di Popayan) Aug. Ep.

Fr. Augustinus de Coruña, Hispaniae oppido, an. 1524 Salmanticae solemnia vota emisit in manibus D. Thomae a Villanova illius coenobii tunc prioris. Cum brevi evasisset vir doctrina morumque probitate valde conspicuus, an. 1533 ex mandato S. Sedis Apostolicae ad instantiam Regis Hispaniarum ad Occidentales Indias navigavit ut Mexicanis populis Fidem Christi praedicaret. Ibidem postea anno scilicet 1560 cum jam in apostolici muneris perfunctione magno utique cum animarum lucro plurimum desudasset, amplissimae illi Augustinianae provinciae regendae praefectus fuit. An. autem 1561 una cum Provincialibus

Dominicano, et Franciscano in Hispaniam remeavit tum ut pro Mexicanis populis regiam protectionem, tum ut quaedam privilegia pro suis Ordinibus a Philippo II postularent. Statim ac ad Hispanicas oras pervenit a praefato Rege eodem an. 1561 ad episcopatum Popayanensem postulatus fuit, quam postulationem Pius IV sine cunctatione admisit. Episcopali oneri non quidem sponte, sed invite, virtute nimirum religiosae obedientiae cogente, humeros subjecit. Matriti itaque Episcopus ordinatus in Peruviam appulit an. 1562, atque in Limano coenobio aliquantulum moratus fuit ut D. Franciscum de Toleto Proregem praestolaretur, cum quo tam ipse, quam alii duo Augustinenses nimirum P. Joannes Viverus, et P. Franciscus de Coral cunctas Peruani Regni provincias ex laudati Philippi II Regis jussu invisere debebant pro opportunis ubique municipalibus legibus constituendis, tunc enim Catholici Reges nondum a *liberalibus* seducti per summam stultitiam soliorum suorum ruinam paraverant per iniquissimam Ecclesiae a Statu separationem, perinde ac si absque religione solia consistere possent. Regis mandato diligenter expleto, ad suam Ecclesiam Augustinus noster se contulit indefessam suae vigilantiae curam commisso sibi gregi impendere. Quo in munere, ut scribit Elssius, ita egregie se gessit, tantamque pastoralem sollicitudinem exercuit, ut tota illa provincia veri Dei cultum agnoverit. Ad haec ipsum quoque Peruviae Regem Tupac Amarum ad catholicam fidem convertit, atque suis ipse manibus lustrali lympha dealbavit, eique etiam suis orationibus heroicam patientiam in mortis supplicio perferendo impetravit, cum antea Hispani Proregis clementiam frustra pro illo postulasset. Quoniam autem, ajente Paulo, omnes qui pie volunt in Christo vivere, persecutionem patientur, idcirco meritissimus Antistes multa mala propter justitiam perpeti coactus fuit. A Pio Bonifacio Gams in serie Episcoporum Ecclesiae Catholicae

pag. 161 dicitur *Episcopus sanctus, iterum exul.* Et revera cum sanctitatis opinione ex hac vita migravit an. 1590 cum annos circiter septuaginta in Dei constanti famulatu, summaque vitae austeritate traduxisset, multamque eleemosynarum copiam in pauperes erogasset, pater pauperum propterea appellatus. Eremitano Ordini duo monasteria aedificavit monialium unum, et coenobitarum alterum, atque ingentem pecuniae summam pro extruendo nostrate Salmanticensi collegio in Hispaniam misit. Narrant historici illum etiam miraculis claruisse. Vide Torellium in Centuriis pag. 614, Lanteri vol. 2 pag. 237, Moroni vol. 54 pag. 135, et Henrion lib. I pag. 402.

Fr. Antonius Burbano de Pasto in dioecesi Popayanensi die 19 Martii an. 1837 a Gregorio XVI inauguratur Episcopus Rhosi in Syria, et coadjutor Episcopi Popayanensis. Videtur vixisse usque ad an. 1849. Vide Moroni vol. 59 pag. 111, Diarium romanum, et Gams pag. 161, ubi illius Augustiniana professio reticetur.

Pueblae (di Puebla) Aug. Ep. electus.

Fr. Joannes Estaccio de Angrana in Tertiaria insula discipulus fuit S. Thomae de Villanova, illiusque virtutum imitator. In ejusdem sancti manibus solemnem professionem emisit Salmanticae die 29 Julii an. 1521. Cum vir evasisset mirae pietatis, atque insignis verbi Dei praeco multa eruditione instructus, an. 1539 jam magistrali laurea redimitus studio verae fidei propagandae cum aliis undecim nostratibus in Mexicum trajecit, ibique quinque annorum spatio totam Guaxtequam provinciam ad Catholicae Ecclesiae sinum perduxit, appellatus propterea illius gentis apostolus. Nedum Mexici, verum etiam Peruviae provincialatum gessit. Cum autem Peruviani Proregis D. Anto-

nii de Mendoza conscientiae moderator esset, magnam cum in civili, tum in ecclesiastico regimine partem habuit, non omittens interea consuetas poenitentias, atque spiritualia exercitia, quibus singulares e coelo favores promeruit. In Hispaniam deinde cum pro gravibus quibusdam negotiis expediendis remeasset, electus fuit Episcopus Civitatis Angelorum, alias Pueblae; verum antequam ad suam dioecesim profecturus navim conscenderet, per aliam viam ivit in regionem immortalitatis an. 1554. Dicitur insignibus quibusdam revelationibus a Deo dignatus fuisse, atque non semel Christum Dominum in Eucharistia palam conspexisse. Vide Torellium in Centuriis pag. 497, Herreram tom. I pag. 398, Cajetanum de Sousa de Epispopis Lusitanis extra Lusitaniam pag. 170, Georgium Cardoso Agiologii Lusitani tom. 2 ad diem 4 Aprilis litt. A, et Antonium Cordeiro hist. insulanae lib. 6 cap. 41, n. 414.

Portus-Divitis (di Porto-Ricco) Aug. Ep.

Fr. Didacus de Salamanca, Burgis in Hispania nobili genere ortus, post completum studiorum curriculum in Americam navigavit non quidem auri fodinas quaerere, sed homines Christo lucrifacere. An. 1563 pro gravibus Ordinum religiosorum negotiis Matritum missus fuit, quo tempore a Rm̃o P. Christophoro Patavino provinciae Mexicanae, et postea an. scilicet 1566 omnium Indiarum occidentalium vicarius generalis constituitur. Iterum in Hispaniam reversus an. 1575 erat prior regalis S. Philippi Matritensis conventus, et an. insequenti ad instantiam Philippi II a Summo Pontifice creatus fuit Episcopus Portus Divitis in Antillis insulis. Statim ac ad suam Dioecesim pervenit operarios conduxit, qui cathedrale templum perficerent, et ipse suis expensis ejusdem templi gradus extruxit. Illam Ecclesiam rexit usque ad an. 1587, quo suae conscientiae

quietis amore Romam venit Episcopatus onus ad pedes Summi Pontificis deponere. Vide Herr. tom. I pag. 197, Els. pag. 165 , Gams pag. 162 , et Alcedi dictionarium Americae.

Fr. Ferdinandus Valdivia y Mendoza Hispanus, alumnus provinciae Vandalitiae , an. 1717 creatur Episcopus Portus Divitis, atque suae sedis possessionem adiit an. 1719. Rexit usque ad an. 1725, quo episcopale onus die 25 Nov. cum mortali veste deposuit. Vide Alcedi Dictionarium, et Gams pag. 162.

SS. Assumptionis (dell'Assunzione) Aug. Ep.

Fr. Joannes de Almarez, de Salmantica, S. Theologiae Magister, qualificator S. Inquisitionis , S. Scripturae professor , atque insignis concionator , apud Ordinem variis vicibus prioratum obtinuit, atque etiam ad suae provinciae primatum ascendit. An. 1591 inauguratur Episcopus SS. Assumptionis de Paraguay ; verum an. insequenti ex hac vita migravit ante acceptam episcopalem consecrationem. Vide Alcedi dictionarium continuatum, et Gams pag. 158.

SS. Conceptionis de Cile (della SS. Concezione nel Chilì) Aug. Ep.

Fr. Franciscus de Vergara Loyola de Iza , de Lima in Peruvia , illius Augustinianae provinciae Prior Provincialis an. 1666 eligitur Episcopus SS. Conceptionis in regione Cilensi, atque rexit illam Ecclesiam usque ad an. 1682, quo ex hac vita migravit. Vide Gams pag. 144, et Alcedi dictionarium.

Fr. Ludovicus de Lemos y Usatequi, de Lima, Caroli II concionator an. 1687 inauguratus fuit Episcopus SS. Conceptionis, quam sedem tenuit usque ad an. 1691, quo Indiarum Occidentalium Patriarcha constituitur. Hoc tam sublimi honore nobilitatus parum adhuc temporis vixisse videtur; nam eumdem titulum praefato anno 1691, die 20 Novembris Innocentius XII DD. Petro Portocarrero y Gusman Tyri Archiepiscopo contulit. Vide Gams pag. 144, et Alcedi dictionarium.

Fr. Martinus Hijar y Mendoza, Peruanus, alumnus fuit nostratis coenobii Limani. Dicitur vir fuisse morum severitate, suaeque vitae austeritate vere singularis, atque religiosae paupertatis supra modum studiosus. Inter alia Ordinis munia etiam provincialatum obtinuit. An. 1695 ad instantiam Caroli II ab Innocentio XII ad SS. Conceptionis Episcopatum promovetur. Suam dioecesim optimus pastor sacra visitatione peragravit, atque ad spiritualem praesertim suarum ovium profectum provehendum dioecesanam synodum coegit, quam tamen ad optatum terminum perducere non valuit; nam post aliquot sessiones in gravem morbum incidit, cujus vi oppressus mortalem tunicam deponere debuit mense Martio an. 1704, Vide historiam eccles. regionis Cilensis auctore DD. Eyzaguirre, et Gams pag. 144.

S. Crucis de Sierra (di S. Croce della Sierra) Aug. Ep.

Fr. Joannes de Rivera in oppido Pisco in Peruvia ortus, Eremitanum Ordinem ingressus, quippe qui juvenis erat subtilis ingenii, atque perspicacis intelligentiae vir evasit eruditione cum sacra, tum profana valde instructus. Potissimum autem excelluit scientia S. Scripturae cujus

cathedram in Limana Universitate summo cum plausu atque discipulorum profectu moderatus fuit. Cum doctrinae praestantia fulgebant etiam in illo aliae eximiae virtutes. Erat enim singulari indolis comitate, animique benignitate praeditus; quare omnium sibi benevolentiam comparavit, atque in suae vitae ratione praeter peculiarem morum innocentiam jugis eminebat potus cibique parcitas. Propter sua doctrinae ac probitatis merita electus fuit Episcopus S. Crucis de Sierra in Bolivia, illamque Ecclesiam rexisse videtur post an. 1666 usque ad 1672. Vide dictionar. Alcedi, Gams pag. 445, et Biogr. eccl. compl. litt. R.

S. Dominici (di S. Domingo) Aug. Arch.

Fr. Didacus de Contreras, Mexici ortus, apud Ordinem fuit S. Theologiae Magister, et suae Mexicanae Provinciae Praefectus. In patria autem Universitate primariam obtinuit S. Scripturae cathedram, itemque apud S. Inquisitionem qualificatoris munus exercuit. Ex Philippi III praesentatione a Paulo V die 18 Junii an. 1612 insulae S. Dominici Archiepiscopatui praeficitur. Illam sedem tenuit usque ad an. 1618, quo pro suae Ecclesiae, suaeque conscientiae negotiis Romam veniens naufragus periit. Vide Herr. tom. I pag. 198, Elss. pag. 163, Alcedi dictionarium, et Gams pag. 148.

Fr. Petrus de Solier in oppido de Barajas in provincia Toletana ortus, Eremitanae Familiae in conventu Salmanticensi an. 1595 die 20 Januarii per solemnia vota se aggregavit. Ad occidentales Indias postea profectus, illinc ad Philippinas transiit an. 1599, atque Manillae nostrates alumnos S. Theologiam docuit usque ad an. 1603, quo in Hispaniam rediit procuratoris officium apud Aulam Regiam Matriti gesturus, quo tempore magistralem lauream

obtinuit, et commissarius S. Inquisitionis Mexicanae renuntiatus fuit. Iterum ad Philippinas navigavit an. 1606, quo ut pervenit in provinciam Pampangam christianos indigenos spiritualiter administrare se contulit. Parum temporis suum apostolicum zelum illic exercere potuit; nam an. 1608 provinciae regimen illi demandatum fuit. Pro ejusdem provinciae negotiis alia vice in Europam remeavit an. 1610, atque rebus omnibus sua dexteritate rite compositis in Americam reversionem fecit, ubi D. Ludovico de Velasco Mexici Proregi a sacris confessionibus fuit. An. 1614 die 17 Novembris instituitur Episcopus Portus Divitis, unde an. 1619 die 14 Decemb. ad Archiepiscopatum S. Dominici transfertur, quo titulo etiam Indiarum Occidentalium Primas evasit. Illam sedem tenuit usque ad an. 1620, quo huic saeculo valedixit. Consule Herr. tom. 2 pag. 270, Els. pag. 582, et Gams pag. 148.

S. Fidei de Bogota (di S. Fede di Bogota)
Aug. Arch.

Fr. Joannes de Castro, Toletanus, et illius urbis Augustiniani coenobii alumnus, vir fuit eloquentia, eruditione, vitaeque sanctimonia maxime clarus, atque insignis suae aetatis verbi Dei praeco. Cum esset Salmanticensis coenobii prior die 7 Januarii an. 1608 inauguratur Archiepiscopus S. Fidei in regno Novae Granatae; sed post acceptam episcopalem unctionem electus Philippi III concionator Archiepiscopatum abdicavit. Itaque mansit Matriti usque ad obitum qui cum non exigua sanctitatis opinione evenit die 1 Augusti an. 1611, aetatis suae 70. Dicitur fuisse valde liberalis erga pauperes. Elssius pag. 350 de illo haec habet - *Aulam regiam doctissimis suis concionibus, ac consiliis direxit, omniumque animos in se convertit.* Vide Herr. tom. I pag. 414, Ossinger pag. 220, Gandolphum

pag. 374. Lanteri vol. 3 pag. 395, et Gams pag. 140 ubi nominatur Franciscus, et siletur illius Augustiniana professio. Scripsit vitam B. Alphonsi de Orozco.

Fr. Didacus Fermin de Vergara, Hispanus, Compostellae Eremitanae Familiae nomen dedit. Postea apud Ordinem conspicua munia obtinuit; nam an. 1718 electus fuit prior conventus Salmanticensis, quod officium deinde exercuit etiam in regali S. Philippi coenobio Matritensi. Dicitur vir fuisse mitis ac suavis ingenii, singularis probitatis, atque insignis liberalitatis erga pauperes. An. 1732 die 20 Decembris inauguratus fuit Episcopus Popajanensis in Peruvia, unde an. 1740, die 24 Decembris ad Archiepiscopatum S. Fidei de Bogota translatus fuit. Suae matris Religionis Augustinianae semper memor nostratibus Salmanticensi, Vallisoletano, aliisque coenobiis pecuniarum subsidia misit. Illam Archiepiscopalem cathedram tenuit usque ad an. 1744, quo e sua sede ad meliorem vitam transivit. Vide annuar. pontif. Gams pag. 140, et Alcedi dictionarium. Noster Em. Vidal in hist. conv. Salm. illius obitum assignat an. 1743.

S. Jacobi de Cuba (di Santiago di Cuba) Aug. Ep.

Fr. Franciscus de Izarregui juxta Gams pag. 146, ubi illius Augustiniana professio reticetur, Episcopatum S. Jacobi de Cuba an. 1730 recusavit. Verum ex Alcedi dictionario videtur illam sedem tenuisse post obitum sui antecessoris (1729) usque ad an. 1730. In eadem pag. 146 praefatus Gams silet etiam Augustinianam professionem nostratis Fr. Gregorii de Alarcon Discalc. atque omnino reticet nomen Fr. Gasparis de Molina postea Cardinalis, qui an. 1730 die 26 Septemb. electus fuit S. Jacobi de Cuba, alias Havanae Episcopus. Vide Diarium romanum.

Tucumani (di Tucuman) Aug. Ep.

Fr. Melchior de Maldonado y Savedra, in oppido vulgo *Rio de Hcha* in Regno Novae Granatae ortus, in Hispaniam venit, ibique in coenobio Hispalensi Eremitanum Ordinem amplexus fuit. Salmanticae deinde studiis operam navavit, atque magistralem lauream obtinuit. An. 1632 die 16 Feb. ad instantiam Philippi IV electus fuit Episcopus Tucumani, nunc Novae Cordubae, in regione Jucatanensi. Magno cum animarum zelo suam dioecesim rexit annis triginta, potissimum conversioni indigenorum infidelium intentus. Spiritum restituit Creatori suo mense Feb. 1662. Vide Herr. tom. 2 pag. 86, Elss. pag. 485, Gams pag. 145, et Alcedi dictionarium continuatum.

Fr. Nicolaus de Ulloa Limam in Peruvia patriam habuit, ibique Augustinianae Familiae nomen dedit. Illius provinciae postea primatum obtinuit, et an. 1663 ad Tucumanensem Episcopatum evectus fuit. Magna cum prudentiae laude suam Ecclesiam rexit, atque in procuranda Indorum conversione indefessam, sedulamque curam impendit. Plenus meritis debitum naturae persolvit an. 1682. Vide Alcedi dictionarium continuatum, et Gams pag. 145.

Fr. Alphonsus Pacheco, Limanus, qui illam Augustinianam provinciam rexit, circa an. 1683 electus fuit Episcopus Tucumani. Vide Alcedi dictionar. contin. et Gams pag. 145.

LUSITANUM REGNUM

Floruit usque ad hoc praesens decurrens saeculum Augustiniana Lusitaniae provincia, quae 26 quondam coenobia enumerabat, quibus alia 29 addenda sunt, quae vi-

cariatum Indiarum Orientalium, seu provinciam Goanam constituebant. Horum coenobiorum praecipua pars per varias vicissitudines pervenit usque ad an. 1834, quo Petrus I Brasiliae ex Imperator sub nomine Ducis Brigantiae uno calami ductu plurium saeculorum opera delevit. Is enim adjutus praesertim ab Anglis et Gallis, qui post suos interfectos ejectosque Reges ubique locorum usque ad praesentes hos dies in summam sui ipsorum perniciem fatalem lethiferae libertatis arborem suo patrocinio sustinere consueverunt, ipsummet germanum fratrem D. Michaelem legitimum Lusitaniae Regem an. 1833 e throno deturbavit, eumque a patria exulare coegit. Deinde nimirum mense Martio 1834 *liberalium* consilia sequens, suaeque indignationi indulgens eo quia coenobitae semper justitiae et legitimitatis defensores D. Michaelis partibus adhaerebant, illorum coenobia in tota Lusitaniae ditione de medio sustulit, ut sic multis sacrilegiis, multisque excommunicationibus contaminatam haereditatem suae filiae D. Mariae de Gloria relinqueret. Protulit ipsa quoque Eremitani Ordinis Lusitana provincia non paucos viros doctrina ac sanctitate praestantes, atque complures item insignes Praelatos, quorum nunc nomina recensere incipimus.

Bracharae (di Braga) Aug. Ep.

Fr. Augustinus de Castro, alias de Jesu Ulyssiponem patriam habuit, ubi primam lucem aspexit die 16 Octobris an. 1537 ex patre Ferdinando de Castro Ulyssiponis gubernatore, et ex matre Maria de Ayala Comitis Montis Sancti filia ortum ducens. Augustinianum deinde habitum Conimbriae sumpsit e manibus nostratis Ven. Ludovici de Montoja die 6 Aprilis 1554. Apud Ordinem statim coepit singularium virtutum specimina exhibere. Quoniam autem inter caeteras egregias dotes etiam ferventi fidei dilatandae

zelo praeditus erat, idcirco eo tempore, quo universam Lusitaniae provinciam moderabatur, Augustinianas missiones in Orientalibus Indiis instituere sategit. Misit illuc igitur duodecim magni spiritus nostrates, quos paullo post complures alii item Augustinenses secuti sunt. Hi fuerunt primores ex Eremitano Ordine Indiarum Orientalium apostoli, qui longe lateque in remotissimis illis regionibus tum Catholicae Fidei, tum Augustinianae Religionis confinia dilatarunt; nam Ecclesiae multas gentes aggregarunt, atque Ordini provinciam Goanam adjunxerunt. Sed ad Augustinum nostrum redeamus. Itaque vir Eremitanae Familiae longe amantissimus cum rescivisset nostratum res in Germania pessum ire, ad illas erigendas illuc se conferre deliberavit. Romam igitur venit an. 1572, atque a Gregorio XIII obtinuit ut Vicarii generalis nomine ad reformanda Germaniae superioris coenobia proficisceretur. Hujusmodi autem provinciam integro sexennio magna dexteritate atque ingenti regularis disciplinae profectu implevit. Eadem temporis intercapedine regius Mariae Austriae Imperatricis concionator electus fuit. In Hispaniam postea a praefata Imperatrice adductus provincias Castellae, et Aragoniae ex regio consilio visitavit. Ad instantiam Philippi II die 31 Decemb. 1597 inauguratur Archiepiscopus Bracharensis, et Ulissypone in Ecclesia Ordinis a DD. Michaele de Castro ejusdem urbis Archiepiscopo die 3 Januarii 1598 consecratur. Deinde renuntiatus fuit etiam Lusitaniae Prorex, quod tamen munus admittere noluit. In Archiepiscopatu nostratis D. Thomae a Villanova munificentiam aemulatus fuit. Nam viginti duobus, quibus praefuit, annis illum tercenta quadraginta sex scutatorum millia pauperibus distribuisse constat, duobus praeterea extructis monasteriis, uno scilicet nostratibus coenobitis, et altero monialibus S. Benedicti, atque fundo etiam relicto pro puellabus dotandis, infirmisque curandis, qui mille

septingenta quinquaginta scutata quotannis reddebat. Tantum potest sancta Episcoporum liberalitas! Erga SS. Eucharistiae Sacramentum singulari flagrabat pietatis affectu; quare ut semper coram eo quatuor lampades arderent censum fundavit. Duas synodos dioecesanas habuit, in quibus salutaria pro tollendis abusibus statuta edidit, itemque Bracharenses constitutiones reformavit. Tandem meritissimus Antistes Sacramentis rite munitus, Jesu et Mariae nomina pronuntians obdormivit in Domino cum magno, ut ait Elssius, sanctitatis odore Bracharae die 25 Nov. an. 1609, aetatis suae 72. Apud nostrates in eadem urbe tumulatus fuit. Vide Herr. tom. I pag. 26, Els. pag. 92, Lanteri vol. 2 pag. 239, Ossinger pag. 219, et Gams pag. 95, ubi dicitur ad Archiepiscopatum evectus an. 1589, et die 28 Julii 1592 cathedralem consecrasse.

Fr. Alexius de Menezes Ulyssipone die 25 Januar. an. 1559 ortum habuit ex patre Alexio de Menezes e Comitibus de Cantanheda Sebastiani Regis institutore, et ex matre D. Aloysia de Noronha nobilissima foemina. In aula regia educatus, ubi 15 aetatis attigit annum, ipsi aulae ejusque deliciis ac pompis nuncium misit, atque in patrio nostrae Dominae de Gratia cucullum induit, ibique die 27 Feb. 1575 solemnia vota emisit juxta illius provinciae morem familiae cognomine relicto, atque a Jesu cognominatus. In studiis deinde ita profecit ut evaserit magnus theologus, atque insignis verbi Dei praeco. Verum non doctrina tantum, sed etiam singulari pietate excelluit. Concionator fuit Catholici Regis Philippi II, qui illum rectorem constituit celeberrimae Conimbriae Universitatis, quod tamen honorificum munus admittere noluit. An. 1695 die 13 Feb. eligitur Archiepiscopus Goanus, et Primas Indiarum Orientalium. Episcopalem consecrationem accepit Matriti die 26 Martii 1595, et die 29 ejusdem mensis per manus DD.

Michaelis de Castro Arch. Ulyssiponensis in nostrate Ecclesia S. Mariae de Gratia sacro pallio condecoratus fuit. Eodem tempore a Clemente VIII constituitur visitator Apostolicus Archidioecesis Angamalensis, (di Cranganor) et Nestorianorum Malabarensium, quos D. Thomae Christianos appellant, ut eos ad obedientiam S. Sedis reduceret. Itaque ad insulas Malabares profectus sacram visitationem ingenti cum animarum lucro, atque Catholicae Ecclesiae incremento perfecit Nam in primis ut Sacramenta rite conferrentur effecit, deinde libros nestorianos ab erroribus et sententiis Catholicae Fidei adversantibus expurgandos curavit, atque quidquid Summi Romani Pontificis auctoritatem impugnabat penitus delevit. Paroecias quadraginta instituit, eisque idoneos parochos diligenter conquisitos praefecit, ac demum Synodum Diamperitanam (in Diamper) in regione Cochinensi coegit die 25 Junii 1599, in qua amotis schismaticis Episcopis plura centena hominum millia ad unitatem catholicam revocavit. Magno ad tantae hominum multitudinis conversionem adjumento fuit singularis animarum zelus, ac integerrimae vitae exemplum, quod optimus Praesul jugiter praeseferebat, necnon miraculorum donum, quo ornatus fuisse fertur. Mansit in Malabaricis insulis novem mensibus, post quos ad suam Goanam Ecclesiam rediit, in qua item multas paroecias erexit, atque synodum an. 1606 celebravit. Duo reclusoria Goae instituit, unum scilicet foeminarum olim perditarum, et aliud pauperum puellarum sub habitu Augustiniano, et sub regimine Augustinensium confessariorum. Item fundavit monasterium S. Mariae sub obedientia Ordinarii, et cura spirituali PP. Augustinensium. Variis vicibus fuit Indiarum Prorex, et praesertim post obitum Proregis Alphonsi de Castro ipse aliquot annis illas provincias Lusitano Regi subjectas etiam in temporalibus administravit, quo in munere non uno tantum nomine Regi, Regnoque profuit; nam tum plures

civitates a Batavis obsessas, devictis fugatisque hostibus obsidione liberavit, tum etiam munitissimam cujusdam mahomethani principis arcem recens extructam, quae christianorum securitati periculum facessebat, solo aequavit, capto Goamque auctore perducto. Hinc factum est ut infensissimos Lusitani nominis hostes nedum tremefecerit, verum etiam ad nocendi impotentiam redegerit. An. 1611 in Europam revocatus fuit ut majora in Ecclesiam, ac Regnum beneficia conferret. In peninsulam itaque appulsus evasit Archiepiscopus, ac dominus Bracharensis, Lusitaniae Prorex, atque Hispaniarum primas. Pallium Ecclesiae Bracharensis accepit per manus nostratis DD. Georgii Quemado Episcopi Fessensis in nostrate Ulyssiponensi Ecclesia Nostrae Dominae de Gratia die 3 Julii 1612. Tanti illum Philippus III existimabat, ut primo Vallisoletum, ac deinde Matritum arcessitum penes se esse voluerit in Supremi Concilii Lusitanorum dignitate constitutum, quem honoris gradum nemo ante quam ipse adhuc obtinuerat. Item fuit Catholicae Majestatis archicapellanus et consiliarius. In diversorum, in quibus sive in Europa, sive apud Indos versatus fuit, officiorum perfunctione nihil illi unquam potius fuit, quam ut Religionem promoveret, viduas sustentaret, pupillos susciperet, nudos tegeret, egenos sublevaret, omnesque, uno verbo, adjuvaret, factus revera fulgidissimum Antistitum exemplar. Cum sanctitatis opinione obdormivit in Domino Matriti die 3 Maji an. 1617, aetatis suae 58, quamvis alii putent illum vixisse an. 61 ejus nativitatem an. 1556 assignantes. An. 1621, die 10 Martii illius exuviae incorruptae repertae sunt, atque Bracharam penes nostrates translatae. Vide Nicolaum Ant. Hispalensem tom. I pag. Anastasim nostratis Gratiani pag. 15, Curtium in elogiis Augustinensium pag. 181, Morerum tom. 4 pag. 188, Ossinger pag. 580, Lanteri vol. 2 pag. 211, apud quem Menesii scripta reperies, Moroni

vol. 18 pag. 173, et Gams pag. 115. Historiam autem praefatae synodi Diamperitanae latine conscriptam praelo tradidit noster P. Joannes a S. Facundo Raulin an. 1745.

. BRACHARAE AUG. EP. SUFF.

Fr. Georgius Quemado, Lusitanus, ex nobili familia ortus in oppido Aldea Gallega de Riba-Tejo, cum Eremitanae Familiae nomen dedisset, cum aliis nostratibus lucra animarum quaerere an. 1575 ad Indias Orientales profectus fuit, unde postea reversus evasit visitator et reformator conventuum Ordinum militarium de Avisio, (di Avis) et S. Jacobi, nec non nostratis Arch. Bracharensis DD. Augustini de Castro confessarius. An. 1599, die 1 Feb. a Clemente VIII instituitur Episcopus Fessensis. (di Fesse) in Numidia, et praefati Archiepiscopi Suffraganeus. Mortalis peregrinationis cursum complevit die 29 Aprilis an. 1618. Vide Herreram tom. I pag. 305, Elssium pag. 268. et Cajetanum de Sousa in catalogo Episcoporum Lusitanorum extra Dominium Lusitanicum pag. 176.

Fr. Antonius Neto de Sanctis, Lusitanus, de Algarbia, an. 1616 die 28 Novembris inauguratur Episcopus Nicomediensis, et Suffraganeus Bracharensis sub nostrate Arch. Alexio de Menezes, rexitque Bracharensem Ecclesiam eo tempore quo ille Ulyssipone Lusitanum Regnum administrabat. Obiit an. 1641, et apud nostrates in Ulyssiponensi Nostrae Dominae de Gratia Ecclesia tumulatus fuit. Vide Herreram tom. I pag. 43, Elssium pag. 83, et Cajetanum de Sousa pag. 119.

Fr. Antonius Bottado de Foyos Pereira e nobilibus parentibus Ulyssipone ortum habuit an. 1651. Apud Eremitanum Ordinem tria consueta vota emisit die 12 Octo-

bris an. 1667. Fuit S. Theologiae Magister, qualificator S. Officii, examinator trium Ordinum militarium, et Prioratus Crati, necnon deputatus tribunalis Bullae S. Cruciatae. Ab Innocentio XII inauguratur Episcopus Hipponensis, et coadjutor Bracharensis. Erga nostram Eremitanam Familiam revera se amantissimum filium ostendit, eique singulari munificentia tercenta cruciatorum millia (cruzados) donavit. Claustralem cellam nostratis collegii S. Antonii Bracharae, cujus fuerat prior, cuicumque alteri habitationi etiam post acceptum Episcopatum praetulit ut cum suis confratribus conviveret. Huic Praesuli noster Fr. Josephus a S. Antonio primam partem sui operis sub titulo *Flos Sanctorum Aug.* et Dominicus Gandolfi opusculum sub nomine *Le porpore Agostiniane* dedicarunt. Ad mortalis vitae terminum pervenit die 27 Junii an. 1715 in oppido S. Sebastiani de Preira, unde postea illius corpus ad Ecclesiam Nostrae Dominae de Gratia apud nostrates Ulyssiponenses translatum fuit. Vide catalogum Episcoporum Lusitanorum extra Lusitaniam Cajetani de Sousa pag. 113, et litteras nuncupationis apud praefatos auctores.

Conimbriae (di Coimbra) Aug. Ep.

Fr. Joannes Suarez de Freguesia, Lusitanus, ortum habuit in oppido S. Michaelis de Urrò in dioecesi Portus Alacris e nobilibus parentibus Didaco Diaz de Urrò, et Luciana de Alcantara; atque Salmanticae Augustinianam tunicam induit anno 1523, et post novitiatum, verba sunt Ossinger, in omni studiorum genere tam miros fecit progressus ut cum acclamatione omnium cathedraticorum an. 1529 doctoratus insignia obtinuerit. Magisterii honorem etiam apud Ordinem acquisivit, instante nimirum Joanne III Lusitaniae Rege, cujus erat confessarius, concionator, consiliarius, atque eleemosynarius. Item fuit in

Conimbriae Universitate publicus S. Theologiae professor, regalium principum DD. Philippi, et Joannis praeceptor, necnon S. Inquisitionis Ulyssiponensis deputatus, sive consultor. An. 1545, die 22 Maji ad praefati Regis instantiam inauguratus fuit Episcopus Conimbriae, quo nomine duabus vicibus, idest an. 1546, et 1563 ad Tridentinum Concilium se contulit, in quo multoties cum universali admiratione peroravit. Tridento Romam divertit, ibique a Summo Pontifice veniam impetravit unum lapidem e sacra Lauretana domo avellendi, atque secum in Lusitaniam transvehendi. Ivit itaque Lauretum peroptatum thesaurum accipere, quem tamen in patriam ferre non valuit. Nam cum tam pretioso lapide contentus aliquot tantum milliaria Laureto recessisset, derepente ingenti quodam dolore correptus fuit, qui eo magis augebatur, quo longius abibat. Agnovit statim vir Deiparae cultui summopere addictus nolle coelorum Reginam e sua domo aliquid auferri; ac proinde retro reversus lapidem ibidem, unde illum avulserat, reposuit. Postea vero, ut scribit laudatus Ossinger, Jerosolymam profectus fuit loca sancta visitaturus, ibique sui adventus monumenta reliquit; nam templo S. Sepulchri pretiosam supellectilem donavit. Item suis sumptibus duo hospitia Ulyssipone fundavit, unum nempe pro mulieribus ad meliorem frugem reversis, et alterum pro orphanis recipiendis. Dicitur ab Elssio vir singulari beneficentia ornatus, necnon supra modum pius, ac eruditus. Plura reipsa suae eruditionis monumenta typis edita reliquit, quae recensentur apud Lanteri vol. 2 pag. 323. Oculos huic terrenae luci clausit die 26 Novemb. an. 1572. Vide catalogum Episcoporum Conimbriae Francisci Leitaõ Ferreira pag. 155, Gams pag. 97, Nicolaum Ant. Hispal. tom. I pag. 600, et Herreram tom. I pag. 441.

Fr. Gaspar Casal de Santarem e nobilissima stirpe in Lusitania ortus appellatur ab Ossinger vir integerrimae

vitae, ingenii praestantissimi, atque multa divinarum humanarumque scientiarum suppellectile instructus, et ab Elssio dicitur vir incomparabilis doctrinae. Fuit in Conimbriensi Athenaeo primarius S. Theologiae professor, ac postea Regis Joannis III concionator, et consiliarius, necnon ejusdem Regis, ejusque filii D. Joannis confessarius, regiique Senatus, seu Comitatus vulgo nuncupati *Mesa da Consciencia e Ordens* primarius praeses. Anno 1551 die 3 Julii creatur Archiepiscopus Funchalensis in Madera insula, et Indiarum Primas, et an. 1557 die 20 Decembris ad Ecclesiam Leiriensem translatus fuit. In hac urbe Augustinianum coenobium, et cathedrale templum extruxit, quod est unum e totius Lusitaniae magnificentissimis. Bis ad Tridentinum Concilium se contulit, nimirum an. 1552 cum esset Archiepiscopus Funchalensis, et 1563 Episcopus Leiriensis. Claruit in sacra oecumenica synodo Tridentina, ita Pamphilus, quae eum christiane docteque disserentem, saluberrima in medium consilia afferentem, et medicamenta quae subortas quasdam animorum pestes amoliri possent commostrantem non semel audivit, meritisque laudibus est prosecuta. Fato concessit Conimbriae die 9 Augusti an. 1584, et ibidem penes nostrates tumulatus fuit. Vide Nicolaum Ant. Hispal. Bibl. Novae tom. I pag. 400, Morerum tom. 3 pag. 281, Herreram tom. I pag. 303, Gams pag. 97, Ossinger pag. 213, et Lanteri vol. 2 pag. 275, apud quos operum ejus typis editorum catalogum reperies. Philippus Elssius in suo Encomiastico Augustiniano pag. 230 haec de eximio Praesule refert ex Hieronymo Magio jurisconsulto – *Cum summa pietate summam etiam atque incomparabilem eruditionem conjunxit adeo ut is hodie sit, quem multi ejusdem Ordinis viri sibi ad imitandum proponant .... Tomum ejus primum de quadripartita justitia avide perlegi. In quo (Dii Boni) quam multijugam eruditionem! quam christiana scita! quam reconditae Theo-*

logiae supellectilem! quam validissimorum argumentorum vim, cui nemo non manus dederit, reperi! Divum ipsum Augustinum haereticorum flagellum, quin potius Dei spiritum, quem et Paulus se habere fassus est, eruditissimo sanctoque Episcopo adfuisse credas.

Eborae (di Evora) Aug. Arch.

Fr. Michael de Sousa, et Tavora ortum habuit e nobilissima stirpe Lusitani Regni optimatum de Tavora, qui e regio Ramiri II Legionis Regis sanguine originem ducunt. Primam lucem aspexit Ulyssipone an. 1683, illiusque pater fuit D. Antonius Ludovicus Marchio de Tavora, et Comes S. Joannis, atque mater D. Maria Antonia de Mendoza filia D. Henrici Marchionis de Sousa viri in Lusitania primarii. Nobilis ephebus paternae domus nobilitatem ac divitias flocci faciens cunctas saeculi pompas ac voluptates Eremitani cuculli humilitati, vitaeque coenobiticae austeritati posthabuit. In ipsis religiosae palestrae primordiis nedum praeclari ingenii, verum etiam spectatae probitatis minime dubia argumenta praebuit. Unus e praecipuis fuit iis selectis nostratibus juvenibus, qui in Lusitana Augustiniana provincia quamdam instituerunt strictioris observantiae congregationem, quae Jacobaea nuncupata fuit. Haec congregatio licet quibusdam regeretur legibus, quibus magis magisque pietatis fervor, ac morum innocentia promovebatur, tamen quia nonnisi junioribus coenobitis constabat, quasdam non parvi momenti difficultates seu potius suspiciones offendit, quas cum diutius sustinere non posset, penitus pessum ivit, praesertim postquam noster Tavora suum ab ea validum patrocinium prudenter amovit. Regebat tunc Ordinem Vic. Generalis Querni, qui ad eliminandas discordiarum causas, quas nova reformatio excitaverat, juvenes Jacobaeos in Goanam provinciam misit,

cum quibus etiam noster Tavora profectus fuisset, nisi suorum parentum auctoritas ac potentia illius discessum prohibuisset. Itaque remansit in Lusitania ubi magistrales apud Ordinem, et doctorales S. Theol. apud Universitatem Conimbriae infulas obtinuit, et totius provinciae primatum adeptus fuit. An. 1740, die 10 Decembris ad Eborensem Archiepiscopatum per suorum meritorum gradus ascendit, atque die 3 Julii 1757 assistente sibi alio nostrate DD. Hieronymo de S. Josepho Episcopo Tipasae in suo Cathedrali templo solemniter consecravit ipsummet suum germanum fratrem nostratem DD. Antonium de Sousa, et Tavora electum Episcopum Portuensem. Vixit in Archiepiscopatu usque ad an. 1759. Ex manuscripta relatione praefatae Reformationis nuncupatae Jacobeae eo quia illius fundatores congregabantur in quodam Ulyssiponensis coenobii loco, in quo deambulare solebat quidam senex coenobita cui nomen erat Fr. Emmanuel a S. Jacobo, ex annuar. pontif. ex Gam. pag. 100, et ex Reg. I Gen. Leoni pag. 56.

EBORAE AUG. EP. SUFF.

Fr. Hieronymus a S. Josepho Ulyssiponensis, an. 1752, die 20 Maji inauguratur Episcopus Tipasae in Africa, et Suffraganeus, sive coadjutor praefati nostratis DD. Archiepiscopi Michaelis de Tavora. Suffraganei officium exercuit etiam sub illius successore Card. Cosma de Cunha usque ad an. 1773, quo noster Hieronymus ex hac vita migravit. Vide Diarium roman. et Gams pag. 100.

Fari Sylvarum (di Silves) Aug. Ep.

Fr. Dionysius de Anios, (de Angelis) Lusitanus, ab Ossinger dicitur vir facundissimi ingenii, et rarae experientiae in rebus agendis, necnon divinarum humanarumque

litterarum indagator accuratissimus. Renuntiatus fuit Episcopus Fari Sylvarum in Algarbia; verum videtur obiisse ante possessionem initam die 24 Novemb. an. 1654. Vide Ossinger pag. 54, Lanteri vol. 3 pag. 140, et Gams pag. 107.

Helvarum (di Elvas) Aug. Ep.

Fr. Joachim de Athaide, qui ortum habuit in civitate Portuensi die 26 Septemb. an. 1765, a Pio VII die 29 Octobris an. 1804 ad Mailaporensem Episcopatum sublimatus fuit. Deinde an. 1811 transivit ad insulam Maderam Funchallensem Ecclesiam Vicarii capitularis nomine cum Archiepiscopali titulo administrare. Neque usque ad obitum hunc locum tenuit; nam an. 1820, die 29 Maji ad Helvarum Episcopatum in Lusitaniam translatus fuit. Demum ad suae peregrinationis terminum pervenit Gibraltariae die 5 Novemb. an. 1828. Vide annuar. pontif. Moroni vol. 44 pag. 169, et Gams pag. 98, ubi illius Augustiniana professio reticetur.

Lameci (di Lamego) Aug. Ep.

Fr. Franciscus Pereira, Lusitanus, de Villa de Lampazes, ortum duxit e familia Comitum de Benavente in Castella. Dicitur a scriptoribus vir singularis virtutis, et vitae valde exemplaris. Apud Ordinem fuit S. Theologiae Magister, Assistens ultramontanus an. 1602, et Lusitaniae Provincialis an. 1609. Adeo pergami eloquentia excelluit, ut eum Summus Pontifex Paulus V in suum concionatorem elegerit. Ad instantiam Philippi II ad Episcopatum Mirandensem evectus fuit die 1 Octobris an. 1618. Duobus annis illam Ecclesiam laudabiliter rexit, et an. 1620 Lamecum translatus fuit. Verum ante possessionem initam

ad meliorem vitam transivit die 7 Januarii an. 1621. Vide catalogum Episcoporum Mirandae Ferdinandi de Abreu, Harum de nobiliorum generat. tom. I lib. 3 cap. 4 fol. 136 , Lavanha in itinere Philippi II in Lusitaniam fol. 65, et 66, et Gams pag. 102.

Leiriae (di Leira) Aug. Ep.

Fr. Antonius de Sancta Maria filius Ducis de Aveiro, vir fuit singulari erga proximos caritate praeditus. Inter caetera officia apud Ordinem etiam provincialatum gessit. Anno 1598 erat Lusitaniae provincialis, et 1616 die 8 Feb. a Paulo V instituitur Episcopus Leiriensis. Interfuit solemni Philippi III Ulyssiponem ingressui an. 1623. Eodem anno hanc plorationis vallem reliquit. Vide documenta regalis Academiae Ulyssip. edit. an. 1722, Herr. tom. I pag. 48, Elssium pag. 79, et Gams pag. 103.

Portus (di Oporto) Aug. Ep.

Fr. Augustinus Bello, Lusitanus, publicus in Ulyssiponensi Universitate philosophiae ac theologiae professor, vir egregie doctus, morumque probitate conspicuus ab Alphonso IV ad Episcopatum Portuensem an. 1350 praesentatus fuit; verum humillimus coenobita dignitatem recusavit. Vide Torellium tom. 5 pag. 617, et Lanteri vol. I pag. 203.

Fr. Joannes de Valladares, nobilis Lusitanus, de Villa de Setuval, qui fuit Lusitaniae Provincialis, S. Officii consultor, ac regius concionator, die 9 Augusti an. 1621 evehitur ad Mirandae Episcopatum. Rexit hanc Ecclesiam usque ad an. 1626, quo ad Portuensem translatus fuit. Ad meliorem vitam transivit die 13 Maji an. 1635. Vide

Herreram tom. I pag. 445, Elssium pag. 369, catalogum Ep. Mirand. Ferdinandi de Abreu, et Gams pag. 110.

Fr. Antonius de Sousa et Tavora e nobilissimo tum paterno tum materno genere ortus fratrem germanum habuit nostratem Michaelem Archiepiscopum Eborensem, a quo etiam episcopalem consecrationem accepit. Primam lucem aspexit in oppido vulgo Casillas prope Ulyssiponem die 6 Septembris an. 1690. Praefati ipsius germani fratris vestigia sequens Eremitanum Ordinem in Ulyssiponensi Nostrae Dominae de Gratia coenobio amplectitur die 8 Septembris an. 1716, ac postea in ejusdem coenobii Ecclesia ad sacrum Presbyteratus Ordinem promotus fuit a nostrate DD. Josepho de Oliveyra Episcopo Angolae. Studiis operam navavit Conimbriae sub nostratibus PP. Magistris Fr. Bernardo de Tavora ipsius patruo, et Fr. Francisco de Annuntiatione viro doctissimo complurium operum auctore, a quibus praeceptoribus nedum theologicas disciplinas, verum etiam spiritum religiosae perfectionis egregie didicit. In primis autem caeterarum virtutum fundamentum humilitatem dilexit, atque propterea omni studio satagebat ut claustri obscuritate suorum natalium splendorem occultaret. Deinde coenobiticam paupertatem ex animo sectans copiosas pecuniarum largitiones, quas ab opulenta paterna domo percipiebat non quidem in sui ipsius commoditates captandas, sed vel ad pretiosa Ecclesiarum Ordinis ornamenta comparanda, vel ad earumdem Ecclesiarum, et coenobiorum aedificia sive instauranda sive perficienda libenter erogabat. Conventum de Pena-Firma vetutaste collabentem suis expensis a fundamentis reaedificavit, et Ulyssiponensem Nostrae Dominae de Gratia post formidandum an. 1755 die 5 Novemb. explosum terraemotum, vi cujus magna illius civitatis pars cum ingenti hominum clade pessundata fuit, partim dirutum in melius

refecit, partim vero fatiscentem ac ruinam minitantem item suis sumptibus resarsit. Illius tam calamitosae catastrophes tempore Antonius noster jam secunda vice Provincialis in praefato Dominae Nostrae de Gratia Ulyssiponensi coenobio commorabatur, eaque occasione suae revera heroicae erga proximum caritatis admiranda exempla praebuit. Nam ubi primum vehemens illa terrae commotio repente exoritur, statim ac terrificus ille ruentium domorum strepitus auditur subito timore perculsi cito citius fugam arripuerunt coenobitae fere omnes, eo quia in hujusmodi repentinis discriminibus primum quod singulis cogitatum menti obvenit, illud profecto est de propria vita tutanda. Ast econtra Antonius noster in medio tanto terrore impavidus consistens non quidem de sua, sed de aliorum tantummodo vita servanda protinus cogitavit. Ipse enim tunc repetitas terrae concussiones minime reformidans, neque hiantes fornices nec parietes inclinatos respiciens, neque pulverulentos ruinarum acervos, nec interclusas parietinarum congerie mesaulas contuens, neque propter complurium sodalium oppressorum interitum moerore victus, vel metu turbatus, neque dehiscens tremulumque solum expavescens, neque demum periclitantium ac pereuntium clamoribus, et ululatibus consternatus; sed inter tantas exanimationis causas sui compos, sibique bene constans huc et illuc intrepidus ac festinus discurrens a duobus tantum religiosis, laico converso uno, et clerico professo altero, adjutus ante omnia infirmos ac senes coenobitas ad loca tuta transtulit. Deinde cum comperisset P. Mag. Fr. Antonium de S. Paulo, et P. Fr. Emmanuelem de S. Rosa sub ruinarum cumulo cum morte luctari inauditis conatibus adhibitis ingruens suae vitae periculum negligens post longam horam tandem ambos e certae mortis faucibus eripuit. Postquam periclitantes coenobitas in tuto jam collocaverat, licet jam nimio labore fessus, ast tamen caritatis vehementia roboratus

absque mora coenobii septa egreditur etiam caeteris civibus eodem infortunio involutis opem ferre. Statim quos repentinus metus fratres fugaverat ad se convocat, eosque uno verbo confirmat dicens: *Ubi sum ego, et vos quoque esse potestis*. Tot adjutricium manuum suppetias adeptus hac et illac per dirutam civitatem concursans omnes vulneratos colligebat, quibus aliorum caritas nondum opportunum auxilium praestare valuerat. Ex his plus quam ducentos ad loca coenobii terraemotu illaesa asportari jussit, eisque medicos, medicamenta, et alimonias liberaliter providit. Deinde ad mortuos etiam suam curam convertit. Nam cum multi adhuc sub ruinis sepulti jacerent ipse a fratribus comitatus eos diligenter conquisitos ad coemeterium christiano more efferri praecepit. Postremo ad ipsa quoque materialia damna praesertim Ecclesiae illata suum repationis studium extendit. Inter haec peculiarem mentionem facere debemus de perinsigni quadam magna cruce gemmis pretiosis ornata quam ex India allatam noster Ven. Alexius de Menezes praefato coenobio Nostrae Dominae de Gratia donaverat; hanc enim quoque ruendo confractam ingenti sumptu in pristinum statum redegit. Haec tam egregia nostratis Antonii facinora magnam in tota Ulyssiponensi urbe admirationem excitarunt; adeo ut ipsemet Fidelissimus Rex Josephus I ad illum gratulatorias litteras mittere dignatus fuerit. Idem Rex non ita multo post, idest die 21 Augusti an. 1756 illum ad Portuensem Episcopatum postulavit, quam postulationem Benedictus XIV ratam habens nostratem Antonium die 28 Martii an. 1757 Episcopum inauguravit. Hujusmodi electio summam laetitiam omnibus nostratibus illius provinciae attulit, cujus laetitiae publicum testimonium dederunt solemni in praecipuis Ordinis Ecclesiis hymni Ambrosiani cantu. Probe noverat praefatus Rex sui provincialatus tempus nondum complevisse; quare ne illa provincia tanti viri adeo pro-

vido ac benefico regimine privaretur, quippe qui graves quasdam dissensiones ob superius memoratam Jacobaeam inter fratres exortas sua dexteritate atque prudentia de medio sustulerat, ab Apostolica Sede facultatem illi impetravit qua posset quamvis Episcopus usque ad proximum futurum Capitulum una cum sua dioecesi etiam Augustinianam provinciam administrare. Episcopalis unctionis chrismate delibutus fuit Eborae die 3 Julii eodem an. 1757 per manus ipsius germani fratris nostratis DD. Michaelis de Tavora illius civitatis Archiepiscopi, cui unus ex Episcopis assistentibus fuit item noster DD. Hieronymus a S. Josepho Episcopus Tipasae, et Eborae Suffraganeus. Opprimebat tunc temporis Portuensem populum quaedam sic dicta de Alto Durio (Alto Duero) mercatorum societas, qui adinstar hodiernorum *philantroporum* nunquam pauperum sanguine satiabantur. Ex illius societatis monopoliis crebro irae, tumultus, crimina, criminales processus, atque in carcerem conjectiones exoriebantur; quare protector pauperum Antistes noster palam protestatus est nolle in civitatem ingredi nisi prius illud discordiarum seminarium de medio tolleretur; quod et sua auctoritate et potentium amicorum favore a Rege impetrare valuit. Hinc vix dici potest quanta populi laetitia, quanta grati animi significatione, quibus acclamationibus, quantave pompae solemnitate illius publicus in Portuensem urbem ingressus, qui contigit die 4 Junii an. 1758, celebratus fuerit. Alius item alia vice Augustinianus Antistes nempe Joannes de Valladares Portuensem civitatem ab ingenti turbarum periculo liberavit, dum et monitis ad urbis gubernatorem datis, et sua liberalitate miserorum in carcerem inclusorum sortem victumque melioravit. Suae episcopalis Sedis possessione inita Antonius noster pingues mensae proventus fere omnes pauperibus, ac piis suae dioecesis locis reservavit. Intus in episcopali palatio, et foris in viis, et plateis ci-

vitatis pauperes semper secum habebat, eisque manu sua eorum illuviem non abominans, neque nuditatem abhorrens sua manu libenter stipem erogabat. Varias suae dioecesis paroecias a fundamentis erexit, alias autem reparationis indigas instauravit, itemque hospitalia Portuensis urbis pecuniarum subsidiis sublevavit, atque suae Religionis matris nunquam oblitus non pauca, neque parva in Augustinianum templum ac coenobium beneficia contulit. Caeterum Praesul dignissimus concreditam sibi Ecclesiam rexit cum multa vigilantia, ac pastorali zelo, magno justitiae amore ac singulari majoris Dei gloriae, et animarum salutis studio, praeclarisque spectatae vitae exemplis usque ad suae mortalis peregrinationis terminum, qui fuit cum universali omnium suarum ovium moerore in oppido S. Crucis die 4 Junii an. 1766. Ex nostrate Henrico Florez Hispaniae Sacrae tom. 21 edit. 2 pag. 239, et seq. ex annuar. pontif. et ex Gams. pag. 110.

Visei (di Viseo) Aug. Ep. electus

Fr. Ludovicus de Montoya apud Belmontium in Aragonia ex honestis parentibus Alvaro de Legione, et Agnete de Montoya ortum habuit die 15 Maji an. 1497. A prima aetate Dei timorem edoctus praetereuntem hujus mundi figuram despiciens Eremitanum Ordinem amplecti voluit, atque sub nostratis Ven. Martini de Eztarona magisterio probationis tempus feliciter emensus Salmanticae die 28 Aprilis an. 1515 solemnia vota nuncupavit. Adeo postea in virtutibus profecit ut licet 24 tantum annos natum D. Thomas a Villanova tunc illius coenobii priore novitiis instituendis illum praefecerit. Quam dignum tironum magistrum praefatus Sanctus elegerit alumnorum excellentia comprobavit, nam complures sanctitate celebres viri ex ejus magisterio prodierunt, inter quos praecipue recensendi

sunt B. Alphonsus de Orozco, ac VV. Joannes Baptista de Moya, Alphonsus Borgia, atque Augustinus de Coruña. Post aliquot annorum intervallum cum esset Metinae Campi prior, Joanne III Lusitaniae Rege instante illius provinciae visitator, et reformator una cum aliis ejusdem spiritus sodalibus auctoritate apostolica instituitur. Ejusdem Regis aliquot annos conscientiam moderatus fuit, ab eoque tum coenobiorum, tum Conimbriensis regalis collegii aedificationem Ordini impetravit, primumque hujus collegii lapidem an. 1543 ipsemet Ludovicus posuit. Bis Provincialis fuit, necnon Vicarius generalis, monasterii S. Petri de Ceite Ordinis S. Benedicti abbas commendatarius, atque Sebastiani Regis adhuc pueri confessarius. Hunc tamen honorem ob jam gravescentem aetatem ultro dimisit, quemadmodum etiam Visei episcopatum illi oblatum prae humilitate recusavit ut tutius atque liberius Deo deservire posset. Nam contemnentes aulas principum atque terrenae dignitatis gloriam non quaerentes magis Deo placent atque ad coelestis praemia regni facilius perveniunt. Haec veritas satis patet, sed nonnisi in mortis articulo reipsa suadet. Auctor *Theatri triumphalis* quem citat noster Gandolphus haec de nostrate Ludovico refert: *Eam provinciam (Lusitaniae) reformasse, et rexisse 30 annis, vivum et mortuum miraculis enituisse, et ex his celebriora ab Ordinario rite probata, ejusque corpus in sepulcro lapideo Lixbonae reconditum in magna veneratione haberi; eum fuisse Sebastiani Regis pedagogum, duo volumina in lucem ededisse, et a S. Patriarcha Ignatio de Lojola rogatum per litteras a Joanne III Lusitanorum Rege institutionem illustrissimi Ordinis Societatis Jesu in urbe Lixbonae auspicatissime impetrasse.* Vir Deiparae cultui summopere addictus immaculatam ipsius Conceptionem constanter sustinuit. Tandem cumulatus meritis Ulyssipone obdormivit in Domino die 7 Septembris an. 1563. Vide Torellium in

Centuriis pag. 551 , Ossinger pag. 605 , Gandolphum pag. 252 , Herreram tom. 2 pag. 87 , et Lanteri vol. 2 pag. 334.

Ulyssiponis (di Lisbona) Aug. Patriarcha, et Cardinalis.

Fr. Patritius de Silva S. Theol. Magister e nobilibus parentibus ortus primam lucem aspexit Leiriae in Lusitania die 15 Octobris an. 1756. Ab adolescentia Eremitanum Ordinem ingressus, apud eumdem ad tantam doctrinae ac probitatis famam pervenit ut an. 1820 , die 21 Feb. a Pio VII ad Eborensem Archiepiscopatum evectus fuerit. Plurimum valebat gratia atque benevolentia apud Fidelissimum Regem Joannem VI, qui illum suum elegit secretarium pro negotiis ecclesiasticis et justitiae commendavitque Summo Pontifici Leoni XII ut eum in S. Cardinalium Collegium adscriberet. Itaque anno 1824 die 27 Septemb. creatur Presbyter Cardinalis, et quia Romam nunquam venit, idcirco neque anulum, neque galerum, neque titulum Cardinalitium accepit. Anno autem 1826 , die 13 Martii ad Ulyssiponensem Patriarchatum translatus fuit. Incidit illius Lusitanicae Ecclesiae regimen in mala ac periculosa tempora; tunc enim exorta est magna cruenta contentio inter D. Michaelem I, et D. Mariam II de Gloria quis eorum videretur esse Lusitaniae Rex. Inter haec discrimina Patritius noster veritatis justitiaeque amator an. 1828 die 11 Julii, uti habetur in recenti Lusitaniae historia edit. Ulyssip. an. 1852 pag. 288 celebri nationali concilio praefuit, in quo statutum fuit jus ad Lusitanicum Regnum pertinere ad D. Michaelem I, et an. 1833 , die 23 Julii (pag. 363) approbavit atque indulsit ut utriusque Cleri ecclesiastici arma sumerent in defensionem throni et altaris. Item constat illum de Ecclesia Catholica valde be-

nemeritum fuisse; nam ipsemet Gregorius XVI coram quibusdam nostratibus testatus fuit quod Cardinalis de Silva prudentiae atque zelo debetur si difficillimis temporibus Lusitanicum Gubernium communionem cum Romana Apostolica Sede non scidit. Haec autem dicta sint contra *praeclarum* Augustinensium *laudatorem* Moronium, qui vol. 66 pag. 110 illum tamquam sectis secretis addictum vago rumori innixus traducit. Caeterum Moronius non affirmat, sed tantummodo suspicatur, atque teredinis, ut ajunt, scrupulum ostendit; scire tamen debuisset neminem malum esse putandum nisi probetur, atque haud procul dubio decere tam gravem suspicionem de Emo Praelato propalam divulgari. Obiit eximius Cardinalis Ulyssipone die 3 Januarii an. 1840, illiusque exuviae in Ecclesia S. Vincentii *de Fora* reconditae sunt. Vide etiam annuar. pontif. Gams pag. 100, et Regest. I Generalis Mistretta pag. 79.

ULYSSIPONIS AUG. EP. SUFF.

Fr. Christophorus de Almeida in oppido vulgo Gollegaa Archidioecesis Ulyssiponensis ortus, Eremitano Ordini solemnibus votis se adstrinxit die 10 Julii an. 1638. Fuit sacrae Theologiae Magister omnigena eruditione instructus, concionator regius, atque S. Inquisitionis qualificator. An. 1669 die 6 Januarii inauguratus fuit Episcopus Martyropolis in Armenia, et coadjutor DD. Antonii de Mendoza Arch. Ulyssiponensis. Episcopalis unctionis chrismate delibutus fuit die 3 Januarii an. 1672. Dicitur ab Ossinger vir omni litterarum eruditione eximius, et inter sui aevi concionatores praestantissimus, qui non minus pietate, morumque probitate, quam doctrina eminuit. Extremum diem obiit an. 1679 die 26 Octobris in oppido vulgo *Villa das Caldas da Rainha*, ibique tumulatur, unde postea ad coenobium S. Augustini Leiriae translatus fuit. Edidit qua-

tuor volumina elegantium, atque eruditorum sermonum sacrorum, qui magni aestimantur. Vide catalogum Episcoporum Lusitanorum extra dominium Lusitanum Cajetani de Sousa pag. 127, et Lanteri vol. 3 pag. 137, ubi illius Episcopatus siletur.

AUG. LUSITANI EP. EXTRA LUSITANIAM

Quamvis Lusitania non sit nisi angustus quidam, ut ita dicam, Ibericae peninsulae angulus; tamen adinstar grani sinapis de quo fit sermo in Evangelio (Matthaei cap. 13) ad miram magnitudinem illius imperium excrevit. Opera enim praesertim excellentium suorum naviculatorum, inter quos peculiarem mentionem merentur Henricus Rex *navigator* appellatus, Bartholomaeus Diaz, Vascus de Gama, Petrus Alvarez Cabral, atque italus Americus Vespuccius, a quo America nomen accepit, Lusitanum Regnum suae dominationis ramos longe lateque per regiones Asiae, Africae, Americae, atque per oceani insulas extendit. In omnibus fere tam vastae dominationis provinciis non pauci Lusitanae nationis Augustinenses Eremitae Episcopi usque ad praesentes hos dies extiterunt, prout inferius legentibus constabit.

AMERICA LUSITANICA

S. Ludovici de Maranaho (S. Luigi di Maragnano) Aug. Ep.

Fr. Timotheus de SS. Sacramento, Lusitanus, an. 1691 eligitur Episcopus insulae S. Thomae in Africa, et an. 1697 mense Majo transfertur ad Ecclesiam S. Ludovici de Maranaho in Brasiliam. Hunc Episcopatum tenuit usque ad an. 1700. Ex catalogo Episcoporum insulae S. Thomae

Cajetani de Sousa, qui habetur hic Romae in Bibl. Casanatensi sub sign. Q. X. 21. et ex Gams pag. 135, ubi nostratis Timothei Augustiniana professio reticetur.

S. Salvatoris (di S. Salvatore) Arch. Aug.

Fr. Antonius a S. Josepho, Lusitanus, Viannae in Archidioecesi Bracharensi ortum habuit die 21 Feb. an. 1704. Promotus fuit ad Episcopatum S. Ludovici de Maranaho die 24 Julii an. 1756. Transfertur ad Archiepiscopatum S. Salvatoris die 20 Julii an. 1778. Ante possessionem initam obiit Ulyssipone an. 1779. Vide Diarium romanum, et Gams pag. 135.

Fr. Antonius Correa, Lusitanus, patriam habuit Portum, ubi primam lucem aspexit die 11 Octobris an. 1721. Evectus fuit ad Archiepiscopatum S. Salvatoris in Brasilia die 13 Decemb. an. 1779, et episcopalem consecrationem recepit die 9 Aprilis an. 1780. Pervenit ad suam Ecclesiam die 24 Decemb. an. 1781, rexitque usque ad an. 1802, quo ad meliorem vitam transivit. Vide Diarium roman. Gams pag. 133, et Moroni vol. 61 pag. 5.

ASIA LUSITANICA

Coccini (di Cochin) Aug. Ep.

Fr. Ludovicus de Brito de Menezes, Lusitanus, an. 1615 die 18 Maji eligitur Episcopus S. Thomae de Mailapora, unde die 27 Maji an. 1627 Coccinum translatus fuit. Cum hanc Ecclesiam regeret etiam temporale Indiarum Lusitanicarum regimen Proregis nomine et auctoritate obtinuit, quo tempore insignem contra Hollandos et Mahometanos victoriam reportavit. Decessit die 29 Julii an. 1629.

Vide Herreram tom. 2 pag. 16, Elssium pag. 446, Gams pag. 116, et Paulinum a S. Bartholomaeo pag. 121.

Goae (di Goa) Aug. Arch.

Fr. Sebastianus de S. Petro, Conimbricensis, an. 1597 erat procurator generalis provinciae Lusitanae, idemque munus apud Aulam Regiam pro Vicariatu Indiarum Orientalium exercuit. An. 1606 die 9 Januarii eligitur primus Episcopus S. Thomae de Mailapora, unde an. 1615 Coccinum translatus fuit. Eo tempore quo Mailaporensi Ecclesiae praeerat Castrum Paleacate impensis propriis per obsidionem Batavis eripuit, ac Lusitaniae restituit, Mailaporam a Rege Bisnagae obsidione cinctam strenue propugnavit, muris etiam ac propugnaculis aere proprio eamdem munivit et exornavit, ac tandem ob ipsius praeclara merita an. 1625 Archiepiscopus Goae, atque Indiarum Primas inauguratur. Eamdem Goanam Ecclesiam jam ab an. 1622 administrabat, quo tempore novam cathedralem consecravit. Vitam cum morte commutavit an. 1629. Vide Herreram tom. 2 pag. 391, Elssium pag. 620, Gams pag. 115, Paulinum a S. Bartholomaeo pag. 35, et nostratem Joannem Raulin in hist. Concilii Diamperitani edit. Romae an. 1745 pag. 449. De illo haec habet noster Gandolphus in *Dispaccio storico* pag. 136, desumpta ex tom. 4 itinerum ad Orientem Petri de Valle romani litt. 4 pag. 207: *Andai a visitare il Vescovo di Cocin, che in sede vacante amministrava l'Arcivescovado di Goa, che era Prelato di molto merito non solo ecclesiastico, ma anche in governo, come quegli che prese fortezze, e fatte altre azioni in India in servizio del suo Re con molto valore; si chiamava questo Prelato Fr. D. Sebastiano da S. Pietro, ed è frate Agostiniano. Fu indi Arcivescovo di Goa etc.*

Fr. Christophorus de Silveira, Lusitanus, an. 1671 consecratur Archiepiscopus Goanus, et an. insequenti navim conscendit ad suam Ecclesiam profecturus; verum in itinere naturae concessit die 3 Aprilis 1673. Vide Paulinum a S. Bartholomaeo pag. 36, et Gams pag. 115.

Fr. Petrus de Silva, Lusitanus, an. 1687 inauguratur Episcopus Coccini, ad quam Sedem pervenit an. 1689. Vixit usque ad an. 1691, quo decessit Goae die 15 Martii dum hanc Archidioecesim administrabat. Vide catalogum Cajetani de Sousa, Gams pag. 116, et Paulinum a S. Bartholomaeo pag. 123.

Fr. Eugenius Frigueiros de *Torres Vedras* in Archidioecesi Ulyssiponensi condiscipulus fuit nostratis DD. Michaelis de Tavora Arch. Eborensis, et unus e supra memoratae *Jacobeae* fundatoribus, cujus rei causa a Rm̃o P. Mag. Vic. Gen. Francisco Maria Querni ad Indiarum provinciam missus fuit, cum jam S. Theologiae Lectoris munus apud nostrates Eborae exercuisset, atque Tavirensis conventus prioratum gessisset. An. 1725 die 24 Feb. inauguratur Episcopus Macai apud Sinenses. Translatus fuit Goam die 19 Decemb. an. 1740, ibique debitum naturae persolvit die 22 Aprilis an. 1741. Vide Diarium romanum ad praefatum an. 1725, Cajetanum de Sousa in catalogo Episcoporum Lusitanorum extra Regnum Lusitanum pag. 142, Paulinum a S. Bartholomaeo in Indiis Orient. Christianis edit. Romae an. 1794, pag. 35, et Gams pag. 127, ubi litterae initiales O. S. A. suo loco non habentur.

Fr. Franciscus de Britto, alias de Assumptione, Mariannae in Brasilia primam lucem aspexit die 22 Junii an. 1726. Inauguratur Episcopus Olindae item in Brasilia die 8 Martii an. 1773. Translatus fuit Goam die 20 Dec.

an. 1773. Rexit usque ad diem 1 Januar. an. 1783. Superstes adhuc erat Ulyssipone an. 1807. Vide Paulinum a S. Bartholomaeo pag. 37, Diarium roman. et Gams pag. 116.

GOAE AUG. EP. SUFF.

Fr. Didacus de Araujo, alias de Conceptione, Lusitanus, vir dicitur a scriptoribus valde doctus, et sententiosus, qui propterea Seneca appellatus fuit. In Ulyssiponensi N. Dominae de Gratia coenobio prioratum gessit. An. 1595, die 13 Novemb. creatur Episcopus juxta Herreram tom. I pag. 197 *Salmacensis* in Africa, et juxta catalogum Cajetani de Sousa pag. 129 Episcopus de Salè alias de *Folha Velha*, quae civitas Salensis est in Regno Fezzano in Mauritania. Designatus fuit coadjutor nostratis Arch. Goani Alexii de Menezes. Eodem an. navim conscendit ad Indias profecturus; verum dum esset adhuc in itinere divertit ad regionem immortalitatis. Vide praefatum catalogum in collectione documentorum academiae regalis hist. Lusitan. edit. an. 1725, pag. 129. Extat idem catalogus in Bibliotheca Casanatensi sub sign. Q. X. 24.

Fr. Hieronymus Carreiro, alias de Gratia, Lusitanus, die 11 Martii an. 1598 eligitur Episcopus Calamensis in Africa, et nostratis DD. Alexii de Menezes coadjutor. Videtur obiisse an. 1604; nam die 7 Feb. 1605 alius Goanus coadjutor constitutus fuit. Vide Herr. tom. I pag. 346, Els. pag. 287, et catalogum Episcoporum Lusitanorum extra dominium Lusitaniae Cajetani de Sousa pag. 160.

Fr. Dominicus Torrado, alias de Trinitate, Lusitanus, in Helvensi dioecesi ortus, Vicarius generalis provinciae Indiarum, deputatus S. Officii, die 7 Feb. an. 1605 crea-

tur Episcopus de *Folha Velha*, alias de Salè a Clemente VIII, et designatur coadjutor Arch. Goani Alexii de Menezes, a quo Goae episcopalem consecrationem accepit. Fato cessit Goae dum illam Ecclesiam gubernaret die 3 Decemb. an. 1612. Apud nostrates tumulatus fuit. Ab Herrera tom. I pag. 197 dicitur Episcopus *Fiscalensis*. Vide praefatum catalogum Cajetani de Sousa pag. 133, Elssium pag. 175, et alium nostratem Jannem Raulin in hist. Synodi Diamperitanae pàg. 449, necnon relationem manuscriptam an. 1682, quae habetur in nostra Bibliotheca Angelica sub sign. D. 7. 8.

Malacae (di Malacca) Aug. Ep.

Fr. Ludovicus de Mello, Lusitanus, an. 1639 instituitur Episcopus Malacensis in orientalibus Indiis, et post varias vicissitudines adversae fortunae praesertim post occupatam an. 1641 illam civitatem ab Hollandis toleratas ex hac vita migravit an. 1648. Vide Herr. tom. 2 pag. 16, Els. pag. 447, et Gams pag. 117.

S. Thomae de Mailapora (di S. Tommaso di Meliapor) Aug. Ep.

Fr. Antonius a Jesu Maria, Lusitanus, die 23 Augusti an. 1643 inauguratus fuit Episcopus S. Thomae de Mailapora in Orientalibus Indiis. Non constat quandiu rexerit. Vide respectivum catalogum in collectione documentorum regalis academiae Ulyssiponensis tom. 2.

Fr. Antonius de Incarnatione Olindae in Brasilia an. 1692 ortus, eligitur Episcopus Mailaporensis a Benedicto XIV die 8 Martii an. 1745. Illius immediatus successor habetur an. 1756. Vide annuar. Pontif. Moroni vol. 44 pag. 169, et Gams. pag. 118.

Fr. Theodorus de S. Maria, Lusitanus, patriam habuit Villanovam de Postimaò in Dioecesi Aegitaniensi, (di Guarda) ubi primam lucem aspexit die 28 Junii an. 1708. Mailaporensem mitram accepit die 19 ejusdem mensis an. 1756. Parum temporis supervixisse videtur; nam an. 1759 Episcopatum ejus accepit alter. Vide annuar. pontif. Gams pag. 118, et Moroni vol. 44 pag. 169.

Fr. Bernardus de S. Cajetano, Lusitanus, ortum habuit Ulyssipone an. 1717. Ad Mailaporensem Episcopatum promotus fuit die 28 Martii an. 1759. Immediatus illius successor electus fuit an. 1782. Vide ut supra.

Fr. Antonius de Assumptione hanc mortalem vitam ingressus fuit in civitate Portuensi in Lusitania die 27 Aprilis an. 1741. Episcopales infulas Mailaporae obtinuit die 16 Decemb. an. 1782 cum esset examinator Cleri Goani. In ejus locum suffectus fuit alter an. 1787. Vide ut supra.

Fr. Emmanuel a Jesu Goae in Indiis an. 1746 ortus cum Eremitano Ordini nomen dedisset apud eumdem evasit Vicarius generalis provinciae Indiarum, atque haud obscuri nominis concionator. Per suorum meritorum gradus ad Mailaporensem Episcopatum ascendit die 29 Januar. an. 1787. Illius immediatus successor non constat nisi an. 1804. Vide ut supra.

AFRICA LUSITANICA

Angolae (di Angola) Aug. Ep.

Fr. Emmanuel de Assumptione, Lusitanus, circa an. 1652 eligitur Episcopus Sanctae Crucis Angolae in

Guinea, obiitque die 13 Decemb. 1656. Vide catalogum Ep. Angolae Cajetani de Sousa in vol. 2 collectionis documentorum regalis academiae Ulyssipon. edit. 1722, et Gams pag. 473, ubi dicitur Episcopatum recusasse.

Fr. Petrus Sanchez, Lusitanus, an. 1671 consecratur Episcopus Angolae, et eodem anno fato cessit die 30 Nov. Vide praefatum catalogum, et Gams pag. 473, ubi omittitur Augustiniana professio.

Fr. Josephus de Oliveira, Lusitanus, erat Episcopus Angolae circa an. 1790; verum resedisse non videtur. Decessit Ulyssipone die 22 Martii an. 1719. Vide praefatum catalogum in Bibl. Casanatensi sub sign. Q. X. 21.

Angrae (di Angra) Aug. Ep.

Fr. Clemens Vieira de *Villa Melres* in provincia Minhi parentes habuit D. Dominicum de Carvalho, et D. Hieronymam Malheiro nobiles conjuges. Cum Eremitano Ordini nomen dedisset adeo in studiis profecit ut in celeberrima Conimbriae Universitate S. Theologiae doctorales infulas obtinuerit. Ad instantiam Regis Petri II inauguratus Episcopus Angrae in insula Tertiaria in Portuensi urbe episcopalem consecrationem recepit. Statim se contulit ad Aulam Regis, qui doctissimum virum de gravibus negotiis consuluit. Ad suam dioecesim pervenit die 12 Octob. an. 1688. Dum autem suarum ecclesiarum visitationem perageret in *Villa Ribeira* calculis laborare coepit; quare ad nostrates *Pontae Delgadae* se contulit, ibique triduo post cum opinione sanctitatis obdormivit in Domino die 14 Sept. an. 1692, aetatis suae 63. Fuit revera Praelatus spectatae vitae integritatis, doctrina conspicuus, atque Eremitani Ordinis amantissimus. Vide Cajetanum de Sousa in catalogo Episcoporum Angrae, et Gams pag. 474.

Funchallae (di Funchal) Aug. Ep.

Fr. Patritius Xaverius de Moura, Lusitanus, in urbe *Setubal* Ulyssiponensis Archidioecesis primam lucem aspexit die 3 Augusti an. 1801. Eremitanum Ordinem maturo tempore ingressus religiosam, atque scholasticam institutionem accepit in Ulyssiponensi Nostrae Dominae de Gratia coenobio. Verum an. 1834 ob notissimas illius Regni politicas vicissitudines suae cellae coenobiticae valedicere coactus fuit; nam modernis libertatis fautoribus libertas profitendi vota religiosa non arridet; cum enim sint filii Belial adinstar hujus patris quidquid imaginem Crucis Christi refert pertinaci odio persequuntur, non intelligentes quod lignum Crucis serius ocius ipsorum cornua confringet. An. 1848 die 11 Decemb. promotus fuit ad Episcopatum S. Jacobi Capitis Viridis in Atlantico mari, unde postea die 15 Aprilis an. 1859 ad Funchallensem Ecclesiam in Madera insula sitam transfertur. Tempore Vaticani Concilii ego ipse Romae novi hunc optimum senem, qua occasione suam Augustinianam professionem in annuarium pontificium, ubi antea omittebatur, insertam voluit. Reversus in Lusitaniam aeger potius quam sanus parum supervixit; nam an. 1873 Ulyssipone Creatori suo spiritum restituit. Vide Gams pag. 471, ubi illius Aug. professio siletur, et annuar. pontif. ab an. 1870 in posterum.

S. Jacobi Capitis Viridis (di S. Giacomo di Capo Verde) Aug. Ep.

Fr. Franciscus de Cruce, Lusitanus, qui Villaviciosam patriam habuit, an. 1545 die 3 Julii inauguratur Episcopus Opeensis (di Oponto) sub Metropoli Atheniensi, et Suff. nostratis Joannis Suarez Episcopi Conimbriensis. Anno autem 1551 licet senex eligitur Episcopus insulae S. Jacobi

Capitis Viridis, ubi operam dedit ut inter illos populos Christi fides et evangelium annunciaretur, et ubi, ita Elssius pag. 203, ipse Episcopus barbaris illis nationibus per plures annos evangelium annunciavit, de quo hoc memorabile quod octogenarius et Episcopus pueros, adultos, et senes quotidie Catechismum docuerit majori consolatione, quam dum olim D. Thomam explicaret ex cathedra. Ex hac vita migravit die 19 Januar. an. 1574. Vide Herreram tom. I pag. 240, Pamphilum fol. 119 ad an. 1551, et Gams pag. 472.

S. Thomae (di S. Tommaso) Aug. Ep.

Fr. Gaspar de Cao, Lusitanus, vir in S. Scripturis egregie versatus, et perinsignis verbi Dei praeco die 6 Julii an. 1554 creatur Episcopus insulae S. Thomae prope Guineam in Africa, atque suae dioecesis populos ita paucorum annorum spatio christianis doctrinis imbuit, ut religione ac pietate nullis aliis cederent. Cum opinione sanctitatis ex hac vita migravit die 17 Feb. an. 1572. Vide Herr. tom. I pag. 303, Els. pag. 229, Pamphilum fol. 119, Cajetanum de Sousa in catalogo Ep. S. Thomae, et Gams pag. 472.

Fr. Petrus Figueira, alias de S. Augustino, Lusitanus, die 26 Octobris an. 1615 insulae S. Thomae Episcopatum obtinuit. Mitram cum mortali sarcina deposuit die 16 Maji an. 1620. Vide Herreram tom. 2 pag. 271, Gams pag. 472, et praefatum catalogum.

Fr. Joannes Sahagum, Lusitanus, an. 1721 erat Episcopus insulae S. Thomae. Illius immediatus successor fuit Fr. Leander a Pietate Augustinensis Discalceatus, qui inauguratus fuit Episcopus die 6 Septemb. an. 1738. Vide Gams pag. 472, et praefatum catalogum.

LUSITANI AUG. EP. EXTRA DOMINIUM LUSITANICUM.

Fr. Ambrosius Brandao. Vide hujus partis pag. 72.

Fr. Gregorius Nunes. Vide partis primae pag. 68.

Fr. Laurentius Alphonsi. Vide hujus partis pag. 66.

Cyrenes (di Cirene) Aug. Ep.

Fr. Antonius de Gouvea, Lusitanus, qui patriam habuit Pacem Juliam in provincia transtagana, alumnus fuit Ulyssiponensis coenobii Nostrae Dominae Gratiarum. Cum jam in Lusitania regium concionatorem cum plausu egisset, ad Orientales Indias missus fuit, ibique in Goano coenobio nostrates alumnos S. Theologiam docuit, atque prioris nomine religiosae familiae praefuit, eodemque tempore nostratem Archiepiscopum Alexium de Menezes in visitatione Ecclesiarum Malabaricarum adjuvit. An. 1602 ab Indiarum Prorege ad Regem Persarum legatus mittitur, et an. 1608 ab ipso Persarum Rege ad Summum Pontificem Paulum V nuncius designatur, ut una cum alio ejusdem Regis legato, ita Elssius, praelatos et monachos impetraret, et ut ad mutua subsidia contra Turcas Christiani principes excitarentur per Summum Pontificem, et is, per hos legatos. Postquam praedictus pater ad regiam Catholici Regis advenisset, communi sumptu regio plurimi religiosi, praecipue Ordinis S. Augustini in Persiam fuerunt transmissi. Inter quos fuere caeterorum duces PP. Sebastianus a S. Petro, (postea Archiep. Goae) et Melchior ab Angelis Lusitani, Bernardus ab Azevedo, et Didacus de Zaralle Hispani, quorum opera regiones illae egregie in fide christiana profecerunt, quamvis varia sorte, animisque principum

nonnunquam vacillantibus. Hucusque Elssius. An. 1612 a praefato Paulo V eligitur Episcopus Cyrenes, et in Persarum Regno Apostolicus Visitator. Episcopalem consecrationem recepit Ulyssipone in Ecclesia Nostrae Dominae de Gratia ejusdem anni die 28 Decemb. Alia item legatione ad Persarum Regem an. 1619 perfunctus, postea in Europam rediens itinere terrestri ad Syriam usque pervenit, ibique navi conscensa tempestatis vi in Sardiniam defertur, unde Romam versus deinde navigans incidit in piratas, qui illum Juliam Caesaream (Algeri) captivum transvexerunt. A suis autem an. 1621 ingenti lytro redemptus fuit. Tandem insignis Praesul obiit Matriti in Curia an. 1631. Vide Ossinger pag. 406, Herreram tom. I pag. 48, Cajetanum de Sousa in catalogo Ep. Lusitanorum extra Dominium Lusitanicum pag. 177, ubi dicitur illius captivitas apud Maurusios caeteris captivis Christianis valde utilis fuisse, ac Lanteri vol. 2 pag. 233, apud quem invenies catalogum lucubrationum, quas noster Antonius typis evulgavit. In relatione manuscripta, quae asservatur in nostra Bibl. Angelica sub sign. D. 7. 8 dicitur Patriarcha Armeniae.

Pechini (di Pechino) Aug. Ep.

Fr. Franciscus a Purificatione, alias de Rocha Froes, ex patre Lusitano, et matre Indiana a Lusitanis tamen oriunda, piis ac civilibus parentibus Coulami in India intra Gangem ortus, ubi ad 12 suae aetatis annum pervenit in Goensi Dominae Nostrae de Gratia coenobio Eremitanum Ordinem amplexus fuit, apud quem post studiorum curriculum laudabiliter exactum per 12 annorum spatium cum philosophicas, tum theologicas disciplinas Augustinenses alumnos docuit. Deinde cum regularis observantiae zelo, prudentia, ac modestia cunctis praeluceret rector nostratis

Goensis collegii Dominae Nostrae de Populo constituitur, quod munus per triennium egregie adimplevit, eodem ferme tempore cum examinatoris synodalis, tum S. Inquisitionis judicis officium exercens. Inter haec ad visitandas Gangeticas Augustinensium missiones designatus fuit, quo nomine non parum sibi meriti, ac Religioni Augustinianae utilitatis comparavit. Goam tandem reversus non ita multo post in Provincialem electus fuit, eoque in munere obeundo talem se praebuit, ut ex commendatione Lusitani Regis an. 1725 die 24 Feb. Pechini Episcopatum obtinuerit. Illam Ecclesiam administravit usque ad an. 1734, quo ad meliorem vitam Macao transivit die 31 Julii. Vide Reg. 5 Rm̄i Cervioni pag. 240, Le Quien vol. 3 col. 1356, et Gams pag. 126.

Salae (di Salè) Aug. Ep.

Noster Fr. Joannes Raulin in hist. Synodi Diamperitanae (di Diamper) a nostrate Alexio de Menezes in hujus nominis urbe in Malabaricis insulis celebratae pag. 449 postquam sermonem fecit de aliis nostratibus Episcopis Salae (di Salè) in Regno Fezzano in Mauritania, etiam sequentem nominat item nostratem Episcopum Salensem. En ipsissima illius verba : Item alius Episcopus Ecclesiae Salensis est Dominicus a Pietate, et hic recensetur inter primos missionarios August. qui 18 Martii 1572 in Indiam profecti sunt, nempe Simon de Morales, Simon a Jesu, Anselmus de Paradiso, Emmanuel de Los Reyes, Georgius a S. Maria, (alias Queimado) electus deinde Episcopus Fezzanus in Mauritania, Joannès de Gratia, Petrus Scrupolosus, Joannes a S. Monica, Ludovicus Camelo, et Fr. Emmanuel conversus, qui sedulam navarunt operam in convertendis Indis et Persis. Hucusque praefatus Raulin. Nominatur etiam laudatus DD. Dominicus a Pietate Lusi-

tanus Episcopus Salensis in manuscripta relatione an. 1682, quae asservatur in Bibliotheca Angelica sub sign. D. 7. 8. In catalogo Ep. Lusitanorum Cajetani de Sousa pag. 133 Episcopatus de Salè sive Salensis dicitur etiam de *Folha Velha*. Vide in Bibl. Casanatensi sub sign. Q. X. 24.

AUG. EP. IN DIVERSIS LOCIS

Fr. Alphonsus de Castro, Castellae provinciae alumnus, Cacerensis in Philippinis insulis Episcopus electus circa an. 1596 ex hac vita migravit. Ita Herrera tom. I pag. 47, et Elssius pag. 34.

Fr. Alphonsus de Castro, Mexicanae provinciae alumnus, an. 1632 electus Episcopus Chilensis in Regno Peruntino dignitatem recusavit. Herrera tom. I pag. 48.

Fr. Alvarus an. 1434 designatus fuit Episcopus *Vallisabrae*. Ita Herrera tom. I pag. 40.

Fr. Angelus an. 1385 erat Episcopus *Vuscani*. Ita noster Daniel Marcolini in libro onerum Missarum Ecclesiae S. Aug. de Urbe pag. 534 ex Reg. Gen. Bartholomaei Veneti fol. 67.

Fr. Bartholomaeus de Dorbato a Bonifacio IX die 24 Martii an. 1390 eligitur Episcopus Sareptae in Phaenicia. Herr. tom. I pag. 106, et Le Quien tom. 3 col. 1339.

Fr. Bartholomaeus Joannis an. 1390 die 14 Novemb. eligitur Episcopus Trapezi (di Trebisonda) in Armenia. Herr. tom. I pag. 106, et Torellius tom. 6 pag. 283.

Fr. Emmanuel Terzero, Hispanus, die 29 Novemb.

an. 1727 eligitur Episcopus Icosii in Africa, et mense Decembri ejusdem anni episcopalem consecrationem recepit per manus SS. D. Benedicti XIII. Vide Diarium romanum ad praefatum annum etc.

Fr. Ferdinandus de Castroviridi, Hispanus, discipulus D. Thomae de Villanova, vir insignis pietatis ac doctrinae, qui regius fuit Caroli V concionator, anno 1544 eligitur Episcopus Gienni (di Jaen) in Hispania. Videtur tamen aut mitram recusasse, aut ante initam dioecesis possessionem decessisse; nam mense Januario 1545 DD. Petrus Pacheco illam Ecclesiam regebat. Vide nostratem Fr. Michaëlem Salon in vita praefati D. Thomae edit. Romae an. 1658 pag. 46, et Lanteri vol. 2 pag. 195.

Fr. Franciscus de Nieva, Hispanus, jam provectus aetate Salmanticae sub nostrate D. Thoma de Villanova Eremitano Ordini nomen dedit. Brevi evasit S. Theol. Magister, atque insignis concionator. Vir fuit mirae poenitentiae, atque humilitatis, quamobrem Granatensem Archiepiscopatum recusavit. Obedientiae tamen virtute coactus bis Castellae Provincialatum admisit. Obiit cum opinione sanctitatis Salmanticae an. 1547. Vide praefatum Salon pag. 47, ubi quidam Cardinalis dixisse fertur: *Si regularitas deperderetur, Fr. Franciscus de Nieva solus illam restitueret.* Consule etiam Lanteri vol 2 pag. 175.

Fr. Georgius Georgii die 9 Maji an. 1394 erat Episcopus *Ergensis*, forsitan Aegensis in Cilicia. Herrera tom. I pag. 295.

Fr. Gundisalvus de Abula, S. Theol. Mag. qui fuit Castellae Provincialis, erat Episcopus ignoti tituli, uti scribit Torellius tom. 8 pag. 4 ad an. 1514. Herrera

tom. I pag. 300 affirmat illum fuisse Episcopum in Regno Aragoniae.

Fr. Jacobus an. 1452 erat Episcopus *de Candi*, forsitan Candibae in Lycia. Ita Herrera tom. I pag. 432.

Fr. Jacobus Ordinis Erem. S. P. Augustini an. 1460 cum esset Episcopus Corniciensis sive Cornae in Lycaonia consecravit aliquot altaria in nostra Spoletana Ecclesia. Ita Torellius tom. 7 pag. 96.

Fr. Jacobus Pujasola an. 1492 erat Episcopus Suranus (di Sura) in regione Euphratis. Ex Herrera tom. I pag. 439.

Fr. Joannes Adami an. 1419 die 3 Julii a Martino V eligitur Episcopus Sydonis. Ita Torellius tom. 6 pag. 311.

Fr. Joannes Ceurian, Hispanus, S. Theol. Magister, vir doctrina ac pietate spectabilis, quem D. Thomas a Villanova Compluti agnoverat, ad illius instantiam dum Valentinam Ecclesiam regebat, in suum Episcopum coadjutorem electus fuit post obitum alterius coadjutoris Episcopi DD. Estagna. Vide nostratem Michaëlem Salon in vita S. Thomae edit. Romae an. 1658 pag. 121, et 135. Interfuit praefati S. Thomae ad coelestem patriam transitioni.

Fr. Joannes Coppus, Persa, Archiepiscopus Herzirensis (di Erzerum) in Armenia an. 1629 a mahometanis captivus detinebatur. Ita Herrera contemporaneus, qui tom. I pag. 445 narrat quod ipsemet vidit Granatae pro illius redemptione eleemosynas colligi. Vide etiam Elssium pag. 341.

Fr. Petrus Stirejus a Martino V an. 1419 creatur Episcopus Petrae in Palaestina. Herrera tom. 2 pag. 264, et Torellius tom. 6 pag. 491.

Fr. Theodoricus Domenslene die 27 Maji an. 1392 inauguratur Episcopus *Bersebeensis*. Her. tom. 2 pag. 449, et Torr. tom. 6 pag. 303.

ALII AUG. EP. ITALI, QUI IN PARTE PRIMA PRAETERMISSI FUERUNT.

Fr. Augustinus Ep. Salobriensis. Vide pag. 65.

Fr. Joannes Maurocenus (Morosini) nobilis Venetus an. 1346 mense Octobri erat episcopus Aemoniae, alias Civitatis novae in Istria. Illius memoria in praefatae Ecclesiae annalibus habetur usque ad an. 1358, et diem 17 Aprilis, ejusque immediatus successor non constat nisi an. 1361. Vide Ughellum edit. an. 1720 tom. 5 col. 239, Cappelletti de Italiae Ecclesiis tom. 8 pag. 754, et Gams pag. 770.

Fr. Paulus anno 1382 erat Episcopus Aemoniae, alias Civitatis Novae in Istria. Ughellus ignoravit illius Augustinianam professionem, putavitque illum fuisse ab Antipapa intrusum, eo quia tunc temporis Civitatis Novae Episcopatum occupabat Fr. Gilbertus Georgius Ordinis Praedicatorum. Cum tamen constet hunc Gilbertum Episcopum fuisse Civitatis Novae in Venetis aestuariis, nihil obstat, uti observat Coletus, quin a vero legitimoque Pontifice illam infulam obtinuisse credamus. Hanc mortalem vitam adhuc degebat an. 1397. Dicitur fuisse de familia Comitum Montis Feltrii. Vide Herr. tom. 2 pag. 260, et Torellium tom. 6 pag. 256.

Fr. Laurentius de Neapoli, S. Theol. Magister an. 1416 erat Episcopus Aversae in Terra Laboris, et anno insequenti inauguratus fuit Episcopus Tricarici in Lucania. De illo haec leguntur apud Bzovium tom. 15 edit. Coloniae Agrippinae an. 1622. pag. 508 ad an. 1416 n. VI: *Die 5 Septembris etc. . . . . Postridie advenerunt etiam* (Constantiam) *Jacobi Regis*, et *Joannae secundae Hierusalem et Siciliae Reginae oratores Fr. Laurentius de Neapoli Ordinis et S. Augustini S. Theologiae Magister electus Aversanus*, etc. Et pag. 548: *Regina Joanna secunda misit ad Martinum V Laurentium theologum Episcopum Trecaricensem*, qui una simul cum Archiepiscopo Acheruntino, et Belforte Spinello Episcopo Cassanensi praefato Martino electo in Summum Pontificem gratularetur, et auxilia recuperando patrimonio Apostolico polliceretur. Tempora mutantur, non mores! Rexisse suam Ecclesiam videtur usque ad an. 1419. Concilium Constantiense subscribens, teste laudato Bzovio, Augustinianum se nominavit. Vide Ughellum tom. 7 col. 122, ubi siletur Augustiniana professio, Torellium tom. 6 pag. 478, et Labbeum tom. 16 edit. Venet. 1731 col. 455. Herrera tom. 2 pag. 13, dubitavit utrum esset Augustinianus; verum illius dubitatio penitus eliminatur in actis Concilii Constantiensis.

Fr. Maurus de provincia Siciliae an. 1433 erat Episcopus Milevitanus in Numidia. Vide Torellium tom. 6 pag. 549.

Fr. Nicolaus Venetus anno 1317 erat Episcopus Scarpanthi in mari Aegaeo. De illo mentionem facit Flaminius Cornelius tom. 12 pag. 173, et 317, et tom. 2 pag. 5, 75, 76. Expressis verbis dicitur ab eodem Flaminio Cornelio *Nicolaus Ordinis Heremitarum S. Augustini*, *qui*

anno insequenti 1318 benedixit primum lapidem Ecclesiae S. Mariae Servorum. Obiit Venetiis an. 1326. Vide etiam Moroni vol. 62 pag. 115, ubi siletur Nicolai Augustiniana professio, et nostratem Marcolini in manuscripto libro onerum Missarum Eccl. S. P. Aug. de Urbe pag. 530.

Fr. Thomas Visconti. Vide pag. 67.

AUG. EPISCOPI QUI SI FUISSENT EX NOBIS PERMANSISSENT NOBISCUM.

Quoniam in ipsa quoque superna Coelitum aula angeli apostatae reperti sunt, et ex ipso etiam sacro Apostolorum collegio, quod ipsemet Dominus selegerat, Judas Iscariotes prodivit, qui divinum Magistrum pro tringinta argenteis in manus Judaeorum tradidit; mirari procul dubio quisquam non debet si etiam e Religiosorum coetu aliquot desertores Episcopi habeantur. Nam quoadusque ultima veniat districtae rationis dies, in agro coelestis Patrisfamilias, Evangelio testante, mixtum cum zizanio triticum exstare necesse est. Hoc Evangelii testimonium non quidem tantum ad simplices fideles, verum ad ipsum quoque Episcoporum ordinem extenditur; praedixit enim Apostolus quod inter ipsos Ecclesiae Antistites intraturi essent *lupi rapaces non parcentes gregi*, et quod ex ipso quoque pastorum numero exsurrecturi essent *viri loquentes perversa ut abducant discipulos post se.* Propter quod cum Catholica Ecclesia jugiter Patrem luminum deprecari debemus ut omnes ecclesiasticos Ordines in sancta Religione conservare dignetur, hac praesertim temporum nequitia, qua impiorum atque incredulorum secta omnem lapidem movere parata est, ut schisma, si fieri possit, inter Catholicos populos suscitetur siquando, quod Deus longius avertat, Sanctissimus Dominus Pius Papa IX oculos claudat. Jure tamen

sperandum est quod Omnipotens Deus, qui dissipat cogitationes populorum, et reprobat consilia principum, quique Summo Pio dedit ut longe superaret dies Petri , adhuc conservabit pretiosam vitam ejus donec ponat inimicos suos scabellum pedum suorum, et inimici ejus terram lingant. Cito Domine. Amen.

Fr. Andreas de Recineto in Piceno a Nicolao V Antipapa an. 1328 in patriae Episcopatum intrusus fuit. Vide Herreram tom. 1 pag. 38.

Fr. Antonius Lusitanus tempore schismatis ab Antipapa Benedicto XIII an. 1402 praefectus fuit Ecclesiae Episcopali Tudensi (di Tuy) in ea parte quae ad Lusitaniam spectabat. Herr. tom. I pag. 39.

Fr. Georgius Brownus, Londinensis, qui fuit Angliae Provincialis, ab Henrico VIII acceptavit Archiepiscopatum Dublinensem, et Anglicano more consecratus fuit an. 1535. Postea ab ipso Anglicano Archiepiscopo Armachano destitutus fuit anno 1554. Ex Waraeo in Hibernia Sacra pag. 119.

Fr. Gerardus Orlandini de Pisis cum esset legitimus Aleriae Episcopus ad partes Ludovici Bavari, et Antipapae Petri de Corbaria , alias Nicolai V defecit , et ab illis in Pisanam Sedem intruditur; sed paullo post anno scilicet 1339 die 2 Martii a Joanne XXII depositus suae rebellionis poenas luit. Vide Ughellum tom. 3 col. 503 , et Herreram tom. I pag. 293.

Fr. Joannes de Sodagis ejecto per Ludovicum Bavarum a Sede Pistoriensi legitimo Episcopo Barenzo in ejus locum a praefato Petro de Corbaria suffectus fuit. Verum non ita

multo post in claustro reclusus suae ambitionis piaculum expiavit. Vide Ughellum tom. 3 col. 305.

Fr. Milo Covardalus, Eboracensis, a fide catholica defecit, et sub Eduardo VI anno 1552 Anglicano more Episcopus Excestriensis constitutus fuit. Anno autem 1557 in Germania pauper et peregrinus morabatur. Hic, ut scribit Hieronymus Roman centuria 12 pag. 114 velut alter Petrus metu adactus haereticis consensit, ac postmodum divinae impulsu gratiae intrinsecus tactus amare flevit, pluraque opuscula in defensionem Fidei Catholicae divulgavit. Ex Herr. tom. 2 pag. 84, et Elssio pag. 495.

Fr. Nicolaus de Fabriano S. Theologiae Magister, qui a scriptoribus dicitur vir doctissimus, et excellens suo tempore concionator rara facundia praeditus, quippe qui ea scientia pollebat quae inflat, quaeque caret fundamento humilitatis, schismaticis adhaesit, et a praefato Antipapa Nicolao V anno 1328 die 15 Maji creatus fuit Anticardinalis titulo S. Eusebii, ac paullo post Episcopus Camerini, et Legatus Marchiae Anconitanae. Vide Elssium pag. 507.

Fr. Petrus de Curtibus, Catalaunus, S. Theol. Magister, malis artibus atque opera Martini Regis a Pseudopontifice Clemente VII anno 1392 in Agrigentinum in Sicilia Episcopatum intrusus fuit. Ast biennio post Bonifacius IX de usurpata Sede illum deposuit. Vide Pirrum tom. 2 Siciliae Sacrae pag. 297.

Fr. Richardus Nangle, sive de Angulo, Hiberniae provincialis, ab Henrico VIII ad Episcopatum Clonfertensem in Hibernia auctoritate qua non fungebatur promotus fuit, et anno 1536 more Anglicano a schismaticis sacrilegam consecrationem accepit. Ex Waraeo pag. 266.

Fr. Thomas de Rocca de Mathelica anno 1329 die 26 Jan. ab Antipapa Nicolao V tempore schismatis sub Ludovico Bavarico illegitimus Senogalliensis Episcopus electus fuit. Vide Herr. tom. 2 pag. 448.

Fr. Tilmannus Limperger de Moguntia, S. Theologiae Magister, qui a scriptoribus laudatur ceu vir bonis moribus ac humanioribus disciplinis optime imbutus, anno 1491 electus fuit Provincialis Rheno-Sveviae. Ad finem anni 1498 die S. Sylvestri Romae consecratur Episcopus Tripolitanus, et Suffraganeus Basileensis. Circa an. 1500 habitu, et Ordine Augustiniano relicto Basileae canonicatum adeptus fuit. Sed quantum alias in benefactis laudabilis fuit, tanto minus ab exorta inter Helvetios reformatione in cana jam senectute ob timorem seditiosae plebis, et animi inconstantiam apud scriptores tam nostrates, quam extraneos est in honore. Nam prope sexagenarius circa an. 1516 ad Oecolampadii haeresim defecit. Qui antea pro tuenda Ecclesiae libertate, et defendenda vera doctrina strenue laboraverat, et ad promovendam Ordinis regularem disciplinam omnes vires intenderat, modico mortalis vitae tempori supernae beatitudinis perennitatem posthabuit. Adhuc superstes erat an. 1525. Post apostasiam statim Suffraganei munere privatus fuit. Hujusmodi autem munus exercuerat sub Basileensibus Praesulibus Christophoro de Uttenheim, et Nicolao de Diesbach. Vide Hohn in Chronologia provinciae Rheno-Svevicae Ord. Erem. S. P. Aug. pag. 126.

Fr. Emmanuel de S. Agnete Augustinensis Discalceatus a D. Petro Duce Brigantiae, absente legitimo Episcopo Portuensi Joanne de Magellanes, praesumpto quodam jure regio quod nihili valet, quodque etiam nihili valens ipsi non competebat, in eamdem Sedem intrusus fuit. Post laudati Episcopi obitum (1833) non dubitavit se

nuncupare Vicarium Capitularem *Sede vacante*, et Episcopum electum. Decessit die 24 Jan. 1840. Ex relatione mihi transmissa, et ex Gams pag. 110.

AUG. DISCALCEATI EP.

Fr. Petrus de S. Jacobo (di Santiago) ortum habuit (juxta Chronica suae Congregationis) Jacis in Aragonia an. 1590 ex nobilibus parentibus Petro de Anglada, et Petronilla Sanchez. Adhuc adolescens, anno scilicet 1606 die 7 Martii apud Augustinenses Discalceatos in coenobio de Alagonio monacum induit. Cum vasta ac multiplici eruditione spectatam morum probitatem, atque peculiarem pietatem conjunxit; quare omnium existimationem merito sibi conciliavit, praesertim quia praeter egregias animi dotes etiam singulari commendabatur staturae proceritate, atque rara corporis pulchritudine. Fuit examinator synodalis in variis dioecesibus, qualificator Supremae Hispanicae Inquisitionis, annalium scriptor Regni Aragoniae, Philippi IV regius concionator, et suae Discalceatorum Congregationis Vicarius generalis Matriti die 9 Aprilis an. 1634 electus. Postea doctrinae ac religiosae vitae merito ad praefati Regis Philippi IV instantiam Solsonae in Catalaunia Episcopus die 5 Aprilis an. 1640 inauguratur, ibique eodem anno Synodum celebravit. Quadriennio post, nimirum an. 1644 die 14 Novemb. Ilerdam translatus fuit. In hac quoque dioecesi Synodum coëgit die 22 Maji 1646, cujus statuta eodem anno per praelum publici juris fecit. Utrobique autem se ostendit Praelatum integerrimae probitatis, singularis pietatis et religionis, necnon orationis atque mortificationis spiritu peculiariter ornatum. Illius zeli, atque religionis opus fuit instituta ex voto festivitas die 22 Novemb. ad honorem S. Caeciliae, eo quia eodem ipso die Ilerdensis civitas hostili obsidione liberata fuit. Pastor vere

apostolicus unoquoque biennio sui ovilis oves ut plurimum pedester visitabat, saepe ad populum sacras conciones habebat, SS. Viaticum cum deferretur comitabatur, infirmos salutaribus verbis solabatur, eosque, si indigerent, erogatis eleemosynis sublevabat; et quia decorem domus Dei quammaxime diligebat, omnibus fere suae dioecesis Ecclesiis subsidia liberaliter seppeditabat. Omni studio ecclesiasticam disciplinam promovebat, atque honestae Clericorum conversationi sedulo invigilabat, ut ipsorum exemplo caeteri ad pie recteque vivendum excitarentur. Liberalis erga alios, tamen erga seipsum erat admodum parcus. In illius mensa eminebat frugalitas, in vestitu cernebatur modestia, in episcopalis domus ornatu splendebat humilitas, in scrinio autem semper triumphabat paupertas; nam munificentissimus Praesul nostrate pauperum patre D. Thoma a Villanova sibi in exemplum proposito repetitis vicibus asserere non dubitavit haud sibi ingratum fore ecclesiastica sepultura privari si moriens centum *reales* relinqueret. Et revera ita pauper obiit in oppido *Fons* dum sacrae visitationis causa dioecesim peragraret (circa finem Maji 1650) ut piorum eleemosynis illius parentalia celebrata fuerint. Illius cadaver in praefati oppidi Ecclesia parochiali humo mandatum fuit. Nominatur ab Herrera tom. 2 pag. 275, ab Ossing. pag. 459, a Nicol. Ant. Hispalensi tom. 2 pag. 191, et a Gams pag. 44.

S. Jacobi de Cuba (di S. Giacomo di Cuba)
Aug. Disc. Ep.

Fr. Gregorius de Alarcon, Hispanus, ex oppido de Garzimuñoz dioecesis Conchensis, an. 1576 die 22 Decembris Salmanticae solemnia vota emisit. Postea ad nostrates Discalceatos transivit, inter quos an. 1617 erat Hispaniae Provincialis, et 1622 eligitur Episcopus Cacerensis in Phi-

lippinis insulis, unde an. 1624, die 29 Aprilis ad Ecclesiam S. Jacobi de Cuba translatus fuit. Dicitur ab Elssio pag. 247 *verbi Dei facundissimus praeco*. Plenus annorum decessit mense Augusto an. 1624. Vide Herreram vol. 1 pag. 305, et Gams pag. 146, ubi illius Augustiniana professio reticetur.

S. Marthae (di S. Marta) Aug. Disc. Ep.

Fr. Eugenius Lesè de SS. Trinitate primam lucem aspexit in oppido *Crivillen* dioecesis Caesaraugustanae in Hispania an. 1758. Eremitanum Ordinem maturo tempore apud nostrates Discalceatos Caesaraugustae amplexus fuit, ibique Lectoris gradum et officium adeptus suae Congregationis alumnos theologicas disciplinas docuit. An. 1790 ad Philippinas insulas transivit, ubi missionarii munus sedulo exercuit. Electus postea Hispaniae Commissarius ita se gessit ut an. 1801 die 28 Septemb. a Pio VII S. Marthae in America Episcopus inauguratus fuerit. Verum biennio post ex hac vita migravit. Ex Diario romano, et ex relatione mihi transmissa a nostratibus Discalceatis Hispanis.

Manillae (di Manilla) Aug. Disc. Arch.

Fr. Josephus Aranguren patriam habuit oppidum prope Pampelonam situm, quod vulgo *Barasoain* nominatur, ibique in lucem venit die 16 Feb. an. 1801. Adolescens juri civili operam navavit, ac postea rem militarem sequi maluit. Verum postea praetereuntem hujus mundi figuram serio contemplatus statuit ensi cucullum praeferre. Itaque an. 1825 in collegio Alfari inter nostrates Discalceatos Eremitano Ordini nomen dedit, ac postea Lectoris gradum adeptus suae Congregationis alumnis aliquandiu sacram Theologiam explanavit. Ad insulas Philippinas an. 1829 pro-

fectus, ibidem pluribus in locis missionarii munus praeclare gessit; erat enim vir eximiae pietatis, ac singulari animarum zelo praeditus. Anno autem 1846 die 19 Jan. quo tempore illam provinciam moderabatur, a Gregorio XVI inauguratus fuit Archiepiscopus Manillensis; et quia tunc nullus in Philippinis Episcopus aderat, ad illum consecrandum invitatus venit DD. Romualdus Ximeno Dominicanus Episcopus Ruspensis, et Vicarii Apostolici Tunchini coadjutor, qui postea fuit Episcopus SS. Nominis Jesu. Habitus fuit solemnis consecrationis ritus Manillae anno 1847. Deinde eximius Praesul in suorum meritorum testimonium regale insigne obtinuit magnae Crucis Ordinis Americani Isabellae Catholicae, renuntiatus fuit socius Consilii Suae Majestatis Catholicae, et Senator Regni, atque ab Indiarum Patriarcha designatus suus in universa Hispanica ditione vicarius castrensis. Dicitur Praelatus fuisse parcus ac modicus in victu ac vestitu, liberalis erga pauperes quibus omnes fere episcopalis mensae proventus erogabat, ad laborem impiger, atque ea comitate praeditus, ut omnium sibi animos devinceret. Inter haec summa quoque humilitate, prudentia, agendique dexteritate commendabatur. Ad suae mortalis peregrinationis terminum pervenit die 18 Aprilis an. 1861. Ex annuariis pontif. ex relatione mihi transmissa, et ex Gams. pag. 113.

SS. Nominis Jesu (di Zebù) Aug. Disc. Ep.

Fr. Joachim Encabo de la Virgen de Sopretan primam lucem aspexit Tarandillae in Extremadura die 1 Septembris an. 1740. Tunicam induit in nostratum Discalceatorum collegio prope praefatum oppidum sito die 13 Augusti an. 1758. Post exactum studiorum curriculum ad Philippinas insulas transivit an. 1767 ibique Lectoris officium plures annos apud suos laudabiliter exercuit. Deinde autem

variis in locis parochi partes sedulo explevit, quo in munere obeundo suis egregiis dotibus omnibus se acceptissimum reddidit. Ob ecclesiasticae scientiae copiam fieri promeruit qualificator S. Officii, Novae Segobiae Episcopi theologus, necnon ibidem, ac Manillae examinator synodalis. Cum duabus jam vicibus illius provinciae primatum laudabiliter tenuisset, ad instantiam Caroli IV die 20 Augusti an. 1804 inauguratus fuit Episcopus SS. Nominis Jesu, cujus Sedis die 5 Junii 1805 possessionem adiit, quamvis episcopalem consecrationem ob illorum dierum politicas perturbationes nonnisi die 15 Maji 1808 Manillae recipere potuerit. Quia singulari praeditus erat affabilitate, omnium sibi animos devinciebat, quia erga indigentes effusae caritatis viscera gestabat tamquam pater pauperum ab omnibus habebatur, et quia demum spectatae atque integerrimae vitae exemplis fulgebat, cunctarum suarum ovium benevolentiam atque existimationem sibi comparavit; quare suis concionibus, privatisque exhortationibus in provehenda morum reformatione multum proficiebat. De suae episcopalis mensae proventibus ipse tantummodo victui necessaria sibi sumebat; caetera autem pauperibus, hospitali, et cathedrali Ecclesiae partiebatur. Pluribus annis spirandi difficultatem patienter sustinuit, cujus tandem morbi victima occubuit in coenobio SS. Nominis Jesu suae Congregationis die 8 Nov. 1818. Ex relatione mihi transmissa a nostrate P. Gabriele Gonzalez, ex annuar. pontificiis, et ex Gams pag. 114.

Novae Segobiae (di Nuova Segovia) Aug. Disc. Ep.

Fr. Joannes Ruiz, alias de S. Augustino, primam lucem aspexit Madrigaleji in Extremadura die 6 Junii an. 1728. Ubi 16 suae aetatis attigit annum Eremitanum Ordinem apud Discalceatos ingressus solemnia vota emisit

Matriti die 16 Augusti an. 1745. Cum jam philosophicis disciplinis operam navasset, in Mexicum navigavit an. 1749, ibique S. Theologiae cursum confecit, atque Sacerdotio initiatus fuit. Ad insulas Philippinas transivit an. 1752, cumque juvenis excellentis memoriae et perspicacis ingenii brevi tempore linguam tagalam didicisset, ad insulam *Mindoro* apostolatum exercere missus fuit, quo ut pervenit barbarorum mahometanorum incursio accidit, cujus rei ergo duobus mensibus in solitudinibus et montibus errare coactus fuit in speluncis et cavernis terrae latitans, atque aeris intemperiem, famem, sitim, frigus, et aestum tolerans. Quamobrem ita ejus valetudo in deterius abiit ut illam regionem valetudinis reparandae causa relinquens ad provinciam Batangam penes Augustinenses Calceatos se receperit. Cum autem ad reprimendam mahometanorum audaciam valida regiorum militum manus Mindorum appulisset, Joannes noster ad suam pristinam stationem rediit in oppido Calapan parochi officium implere, eodem tempore vicarii provincialis personam gerens. Subinde fuit prior coenobiorum S. Sebastiani, et Manillae, praesidens hospitii Mexicani, ac demum suae provinciae in Hispania commissarius, quo nomine a Gubernio gratuitam obtinuit 66 suae Congregationis missionariorum ad Philippinas insulas transvectionem. Ad easdem insulas an. 1769 reversus in proximo capitulo cunctis suffragiis illius provinciae clavus illi concreditus fuit, eumque magna cum prudentiae, ac vigilantiae laude gubernavit. Ad instantiam Caroli III Novae Segobiae Episcopus an. 1784 die 25 Junii inauguratus fuit. Illius Episcopatus eo potissimum memoria dignissimus est quia sua parsimonia, suaque industria, atque munificentia in urbe Vigan episcopale palatium, atque cathedrale templum aedificavit, et hoc etiam aureis argenteisque ornamentis decoravit. Cum autem assidue operibus assisteret ex coementorum humiditate, et exhalatione malignum mor-

bum contraxit, quem ut a se depelleret Manillam se contulit. Verum nullum juvamen ex coeli mutatione expertus ad suam episcopalem Sedem reversionem fecit, ibique Ecclesiae Sacramentis roboratus mortalis vitae cursum complevit mense Majo an. 1796. Ex relatione mihi tradita a P. Emmanuele Martinez, ex annuariis pontif. et ex Gams pag. 114.

Fr. Marianus Cuartero, alias a Virgine de Pilar, ortum habuit Caesaraugustae in Hispania die 10 Januarii an. 1830. Cucullum induit apud Augustinenses Discalceatos in collegio Montisacuti die 23 Septembris an. 1847. Philosophicis, ac theologicis disciplinis addiscendis operam dedit usque ad an. 1863, quo ad Philippinas insulas profectus fuit. Ibidem aliquot annis missionarii onus ac labores alacriter sustinuit usque ad an. 1867, quo prior coenobii Manillensis in capitulo provinciali renuntiatur. An. autem 1870 totius provinciae regimen obtinuit, quo laudabiliter perfunctus apostolici ministerii opus reassumpsit. Tandem ob suas egregias dotes a Summo Pontifice Pio IX die 16 Januar. 1874 Novae Segobiae Episcopatum accepit, quem auxiliante Deo teneat ad multos annos. Ex annuar. pontif. et ex relatione mihi transmissa.

S. Thomae (di S. Tommaso) Aug. Discalc. Ep.

Fr. Antonius de Penha de Franca, Lusitanus, circa an. 1697. successit nostratis Fr. Timotheo de SS. Sacramento in Episcopatu S. Thomae, ejusque successor fuit noster Fr. Joannes Sahagun circa an. 1721. Vide catalogum Episcoporum S. Thomae in tom. 2 collectionis documentorum regalis academiae Ulyssiponensis editum an. 1722.

Fr. Leander a Pietate, Lusitanus, die 6 Septembris an. 1738 creatur Episcopus insulae S. Thomae prope Guineam in Africa. Illius immediatus successor habetur an. 1742. Ex Diario romano, et ex Gams pag. 472, ubi siletur illius Augustiniana professio, et nominatur Leonardus.

Fr. Ludovicus a Conceptione, qui Ulyssipone an. 1704 ortum habuit, S. Thomae Episcopatum obtinuit die 26 Novemb. an. 1742. Illius immediatus successor constat an. 1745. Vide annuar. pontif. et Gams pag. 472.

Fr. Ludovicus de Plagis, qui ortus est in oppido dioecesis Conimbriensis *Alcabenique* an. 1710, S. Thomae Episcopus renuntiatur die 15 Decemb. an. 1745. In ejus locum suffectus fuit alter an. 1753. Vide ut supra.

Fr. Vincentius a Spiritu Sancto Ulyssipone die 15 Septembris an. 1730 ortus, ad S. Thomae Episcopatum ascendit die 1 Martii an. 1779. Transfertur ad Ecclesiam Goyasensem in Brasiliam die 23 Januarii an. 1782. Obiit Ulyssipone die 29 Novemb. an. 1798. Vide annuar. pontif. et Gams pag. 135.

Fr. Custodius de S. Anna, Portuensis, in hac civitate die 17 Aprilis an. 1758 natus, ad S. Thomae Episcopatum promotus fuit die 26 Junii an. 1805. Episcopatum ejus accepit alter an. 1814. Vide annuar. pontif. et Gams pag. 472.

Fr. Joannes Maria de S. Clara in excerptis Archivii Ordinis, quae manuscripta habentur in Bibl. Angelica dicitur promotus fuisse ad aliquem Episcopatum in partibus infidelium. Verum in diariis romanis illius nomen invenire non potui. Vide praefata excerpta ad an. 1728, et diem 31 Augusti.

APPENDIX
DE PROCURATORIBUS GENERALIBUS ORDINIS EREMITARUM S. P. AUGUSTINI

Noster P. Mag. Thomas Bonasoli archivii Ordinis nostri sedulus indagator testatur Urbanum IV an. 1261 instituisse in eodem nostro Ordine socium P. Rmi Generalis, qui postea Procurator generalis nuncupatus fuit. Hic eidem P. Rmo Generali, uti S. Constitutiones Ordinis part. 3 cap. IV paragrapho 2 n. 3 praescribunt, veluti dexter oculus, aut altera manus esse debet, atque eligi ex eorum Patrum numero qui vitae et famae laudabilis in Ordine sint, et praeter sufficientem scientiarum notitiam facundia etiam atque elegantia latini sermonis polleant, cum ad Procuratoris generalis officium praeter alia pertineat in Romano Archigymnasio sacram Theologiam publice profiteri, et sermonem in capella Domini Nostri Papae in Adventu (Dominica 3) et Quadragesima facere. Lectio tamen sac. Theologiae (ita in Const. edit. Matriti ann. 1850 pag. 245) in Romano Archigymnasio sublata fuit per Sistum V, et loco ejus cathedra sac. Scripturae Ordini, non autem Procuratoris officio assignata. Fallitur autem omnino Laurentius Empoli dum sui Bullarii pag. 403 affirmat Ordinem post Priorem Generalem honorem primum semper P. Procuratori generali concessisse. Nam usque ad an. 1625 PP. Magistri Assistentes jure fruebantur praecedentiae etiam ante ipsum Procuratorem generalem, quod tamen per *non usum* ultra annos 30 praefato an. 1625 feria 2 Pentecostes in capitulo gen. Romae habito abrogatum fuit SS. Domini Urbani Papae VIII vivae vocis oraculo. Vide Bullarium Ordinis editum Romae an. 1628 pag. 297. Inter caeteras autem praerogativas, quibus P. Magist. Procurator generalis in nostro Ordine

gaudet, haec potissimum recensenda videtur, quod nimirum quacumque ex causa Generalatu vacante totius Ordinis regimen vigore Brevis Apostolici Benedicti XIV *Ecclesiae Catholicae regimini* emanati die 6 Augusti an. 1745 ad ipsum usque ad proximum capitulum generale devolvatur.

Sequens PP. Procuratorum generalium catalogus incipit a magna Ordinis unione habita an. 1256 Romae in coenobio S. Mariae de Populo.

1256 Primus Procurator generalis fuit Fr. Jacobus de Cremona alumnus provinciae Insubricae qui ad unitum Ordinem admisit Congregationem Pauperum Catholicorum in Insubria degentium.

1257 Fr. Thomas de Andrea, Pedemontanus, de provincia Insubrica, qui praefatam aggregationem Pauperum Catholicorum Ordini ad terminum perduxit. Officium tenuit usque ad an. 1298, quo per aliquot tantum menses illi successit Fr. Jacobinus de Regio, alumnus provinciae Romandiolae.

1298 Fr. Jacobus de Camerino S. Theol. Mag. qui eodem anno Apostolici Sacrarii Praefectus constitutus fuit. Etiam Procuratoris munus gessit usque ad an. 1319. Vide partis primae pag. 211. In hoc catalogo quando indicatur pagina sine addito intelligitur semper pars prima.

1319 Fr. Robertus de Monte Rubiano, alumnus provinciae Picenae, qui jam aliquot menses an. 1300 officium exercuerat. Mansit in officio usque ad an. 1327.

1327 Fr. Joannes Biterrensis, de provincia Narbonae, qui dicitur fuisse vir magnae doctrinae atque prudentiae, atque valde desudasse pro obtinenda facultate erigendi Eremitarum coenobium Papiae prope ecclesiam S. Petri in *Coelo Aureo*, ubi S. P. Augustini sacrae exuviae tunc temporis asservabantur.

1331 Fr. Stephanus Fargini, qui Ordinis negotia tractavit usque ad an. 1358. Hujus P. Procuratoris tempore in capitulo gen. Perusiae coacto an. 1354 decretum fuit ut Procurator generalis in omnibus capitulis vocem habeat prout definitor.

1358 Fr. Bernardus Mansus, Gallus, qui Procuratoris gen. partes egit usque ad an. 1360.

1360 Fr. Augustinus Muenzmeister, alias de Brisaco, qui postea fuit Fpiscopus Secoviae. Vide hujus secundae partis pag. 60.

1363 Fr. Nicolaus Petri, Senensis, S. Theol. Magister, qui munus exercuit usque ad an. 1372. Hunc nominat Torellius tom. 6 pag. 69.

1372 Fr. Petrus Dominici, Italus, S. T. M. et professor, electus fuit Procur. gen. die 2 Julii an. 1372. Non sine magno labore et cura typis excudi fecit opus P. Alvari Pelagii O. S. F. cui titulus: *Planctus Ecclesiae Catholicae* etc. Totum opus in ordinem redegit, eique indicem adjecit. Vide Ossinger pag. 296.

1384 Fr. Bernardus Angelieri, nobilis Florentinus, S. T. M. dicitur ab Ossinger vir morum integritate, et divinarum litterarum scientia clarissimus, qui dies vitae suae publicis concionibus, privatisque sermonibus populum erudiendo insumpsit. Librum evulgavit sub titulo *Speculum caritatis*, quo nedum coaevorum, verum etiam posterorum fidelium corda ad vehementiorem Dei amorem excitavit. Iterum assumitur in Procuratorem gen. an. 1386. Vide Ossinger pag. 53, et Julium Negri pag. 101.

1385 Fr. Lucas Firmanus, qui postea fuit promotus ad Archiepiscopatum Jaderae. Vide partis primae pag. 91.

1387 Fr. Albertinus Ubertini, Florentinus, alumnus provinciae Pisanae, qui parum temporis in officio mansit.

1388 Fr. Thomas de Tuderto in Umbria, qui an. 1387 e provincia Terrae Sanctae reversus Venetiarum vicarius generalis constitutus fuerat. Ex Torellio tom. 6 pag. 258.

1389 Fr. Boetius de Tolentino, senior nuncupatus, qui deinde Archiepiscopus Colossensis electus fuit. Vide pag. 245.

1407 Fr. Aegidius Viterbiensis, senior appellatus, ab eo diversus qui postea fuit Generalis, Episcopus patriae, et Cardinalis.

1419 Iterum ad officium assumitur Fr. Boetius de Tolentino, cujus vices an. 1421 agere coepit P. Fr. Mag. Joannes de S. Thoma, Lusitanus, qui postea fuit consiliarius Joannis I Regis, et orator Eduardi item Regis ad Basileense Concilium. Nominatur a Torellio tom. 6 pag. 523.

1428 Fr. Michael de Massa, qui alius est ab eo, qui superiori saeculo multa doctrinae fama floruit.

1431 Fr. Augustinus de Balneoregio, qui paullo post officium dimisit quia electus fuit Provincialis. Postea patriae Episcopatum obtinuit. Vide pag. 35.

1432 Fr. Joannes Amatricensis alumnus provinciae Umbriae, qui iterum procurationem obtinuit an. 1438.

1434 Fr. Antonius de Nomis, alias de Marciala alumnus coenobii Florentini, S. Theologiae Magister, pluribus vicibus a Florentinis ad Summum Pontificem, et alios principes nuncius missus fuit. Bis Provinciae Pisanae primatum obtinuit, nempe an. 1420, et 1431. Fuit etiam studiorum regens, et prior in coenobio Florentino an. 1424. Debitum naturae persolvit Florentiae die 28 Augusti an. 1434 paucis mensibus postquam procurator generalis electus fuerat. Vide Ossinger pag. 630, et Julium Negri pag. 65.

1443 Fr. Carolus Fellapane, Neapolitanus, qui an. 1445 electus fuit Episcopus Policastri. Vide pag. 140.

1445 Fr. Stephanus Cassianus, alias de Cassia, alumnus provinciae Umbriae, qui a Torellio tom. 6 pag. 755 dicitur S. Theol. Mag. doctus ac prudens.

1455 Fr. Andreas Ferrariensis, alumnus provinciae Marchiae Tarvisinae, qui Proc. gen. electus fuit in capit.

gen. eodem anno 1455 Avenione habito, et paullo post munus renunciavit.

1456 Fr. Stephanus Papiensis, qui fuit vicarius gen. provinciarum Romandiolae, Insubriae et Marchiae Tarvisinae. Brevi tamen per obitum munus dimisit. Vide Torellium tom. 6 pag. 835.

1456 Fr. Jacobus Oliva de Aquila Congregationis Perusinae, qui an. 1470 electus fuit Prior Generalis. Vide partis primae pag. 289, ubi errato dicitur Nicolaus.

1470 Fr. Ambrosius Massari de Cora, qui fuit celebris scriptor, quique an. 1476 universae Augustinianae Familiae regimen obtinuit. Vide pag. 290.

1476 Fr. Gaspar ab Oropito, Urbevetanus, qui officium gessit usque ad an. 1483. Hic vir magnis negotiis pro Religione Aug. perfunctus a Corano destitutus fuit, et in ejus locum suffectus Seraphinus Veliternus, litterarum ignarus, sed ad scribendum agendumque idoneus. Quae res nostrati Ambrosio Corano summi infortunii causa fuit. Ita noster P. Thomas Bonasoli archivii Ordinis sedulus indagator.

1483 Fr. Silvester de Balneoregio in provincia Romana, qui postea fuit universi Ordinis Moderator. Vide partis primae pag. 291.

1485 Fr. Stephanus de Cora in provincia Romana, qui uno tantum anno in officio mansit.

1486 Fr. Joannes Baptista Signori, Genuensis, alumnus Congregationis Insubriae, qui dicitur ab Ossinger pag. 854 theologus egregius et concionator numquam satis laudandus. Typis evulgavit Bononiae an. 1600 librum de reliquiis et veneratione Sanctorum. Nominatur etiam a Pamphilo fol. 104.

1488 Fr. Gratianus Ventura de Fulginio in Umbria, qui primatum Ordinis obtinuit an. 1498. Vide partis primae pag. 296.

1501 Fr. Petrus Caloforta de Valentia in Hispania, qui locum tenuit usque ad an. 1505.

1505 Fr. Jo. Antonius Theatinus, alias Aprutinus, qui totius Ordinis clavum accepit an. 1537. Vide pag. 304.

1519 Fr. Hieronymus Melori de Fulginio, S. Theol. Mag. qui ab Ossinger pag. 578 dicitur litterarum divinarum scientia, et morum majestate et comitate admirabilis. Electus fuit Venetiis viva voce die 11 Junii 1519, obiitque Romae die 7 Maji an. 1534. Vide Pamphilum fol. 111, et Herreram tom. I pag. 355.

1534 Fr. Jo. Jacobus Barba Neapolitanus, qui iterum eligitur an. 1543, et postea fuit Sacrista, et Episcopus Interamnae. Vide partis primae pag. 95.

1538 Fr. Franciscus de Gambasso alumnus provinciae Pisanae vices Procuratoris gen. gessit eo quia Paulus III nolebat hoc officium exerceri a Fr. Ambrosio Quistello Patavino, quia hujus electio ipsi non placebat.

1539 Annuente praefato Summo Pontifice munus exercere coepit Ambrosius Quistellus. Vide Lanteri vol. 2 pag. 27.

1544 Fr. Christophorus Patavinus, qui an. 1551 electus fuit Prior generalis. Vide partis primae pag. 306.

1551 Fr. Gregorius Patavinus S. Theol. Magister doctissimus, qui in Tridentino Concilio sub Paulo III magnum sibi nomen comparavit. Cum S. Scripturae studiis scientiarum omnium suppellectilem, et eloquentiae ornamenta conjunxit. In orationibus latinis coram Summo Pontifice juxta morem in sacello pontificio habitis omnium admirationem in se convertit. An. 1553 apud S. Officium accusatus post illius innocentiam a Purpuratis Patribus probatam omnimode absolutus fuit. Obiit Romae die 27 Augusti an. 1555. Vide Ossinger pag. 673, et Pamphilum pag. 117.

1555 Fr. Fabianus Chiavari, alias Clavarius, Patritius Genuensis, atque illius Congregationis alumnus, vir vere magnus, de quo ipsemet Seripandus dixit: *Cujus doctrina singularis, et vita integerrima in illustri loco posita sunt.* Fuit S. Theol. Mag. qui non solum ingenii praestantia, verum etiam prudentiae laude, morumque probitate plurimum commendabatur. Quapropter in comitiis generalibus Romae habitis an. 1543 dignus existimatus fuit qui una cum D. Thoma a Villanova Ordinis constitutionibus recognoscendis praeficeretur. Tribus vicibus suae Januensis Congregationis primatum obtinuit, itemque fuit apud Congregationem Ilicetanam Vicarius generalis, quod munus deinceps in pluribus aliis provinciis egregie obivit, nimirum in Umbria, Campania, Apulia, Calabria, atque Aprutio, a praefato Gen. Seripando suae potestatis plenitudine per haec verba compos effectus: *Tibi omnem nostram auctoritatem quantamcumque, qualemcumque habemus concedimus tam in Italia, quam extra.* Ad instantiam celeberrimi Genuae Ducis Andreae de Auria in patriam revocatus fuit, atque abbatiali S. Matthaei mitra condecoratus. Tandem meritissimus vir octogenarius ex hac vita migravit die 2 Aprilis an. 1569. Vide Ossinger pag. 234, et Lanteri vol. 2 pag. 265.

1560 Fr. Aegidius de Valenti, Pisaurensis, qui postea fuit Sacrista, et Episcopus Nepetis. Vide partis primae pag. 121.

1564 Fr. Thaddaeus Guidelli, Perusinus, qui postea fuit Prior Generalis. Vide partis primae pag. 307.

1570 Fr. Alexius Stradella, qui postea fuit Episcopus Nepetis et Sutrii. Vide partis primae pag. 122.

1575 Fr. Spiritus Angosciolus (Anguisola) confessarius Gregorii XIII, qui postea electus fuit Prior Generalis. Vide pag. 310.

1580 Fr. Evangelista Bosius, Patavinus, S. Theol. Mag. in coenobio S. P. Augustini de Urbe studiorum regens, et publicus in Romano Archigymnasio professor, constitutus fuit Vice-Procurator gen. Vir litterariae reipublicae haud ignotus obiit Romae an. 1593, aetatis suae 56. Vide Ossinger pag. 159, et Mazzuchelli vol. 2 part. 3, pag. 1850.

1582 Fr. Augustinus de Cornueto, qui deinde ad supremum Ordinis fastigium evectus fuit. Vide pag. 311.

1592 Fr. Joannes Baptista Bernori de Plumbino, alumnus provinciae Senensis, qui fuit in Romano Archigymnasio S. Scripturae professor.

1608 Fr. Guilelmus Vertecchi de Fulginio, S. Theol. Mag. vir philosophicis ac theologicis disciplinis egregie instructus, celebris concionator, atque publicus in Romano Archigymnasio S. Scripturae professor, qui iterum Procurator generalis electus fuit an. 1620. Obiit Romae die 7 Feb. an. 1624, aetatis suae 54. Extat illius monumentum cum effigie et epitaphio in templo S. Augustini prope sacellum ejusdem S. Patris ad cornu epistolae. Reliquit quasdam orationes. Vide Ossinger pag. 931, et Elssium pag. 266.

1614 Fr. Laurentius Orsacchi, alias de Empolia, vulgo Empoli, S. Theologiae Mag. qui claruit multiplici eruditione, nec non singulari vitae rigore, atque insigni rerum agendarum dexteritate. Fuit S. Romanae Inquisitionis qualificator, atque altera vice (1625) Proc. Gen. Obiit Empoliae die 9 Novemb. 1632. Inter alia quae typis evulgavit peculiarem mentionem meretur Ordinis Bullarium. Vide Ossinger pag. 314, et Lanteri vol. 2 pag. 327.

1623 Fr. Andreas Gelsomini Cortonensis, qui postea fuit Episcopus Asculi in Apulia. Vide partis primae pag. 33.

1630 Fr. Hippolytus Monti Finalensis, alumnus provinciae Romandiolae, qui postea Generalatum obtinuit. Vide partis primae pag. 315.

1636 Fr. Nicolaus Reatinus de provincia Umbriae, qui dicitur fuisse disertissimus concionator. Decessit an. 1637. Vide Ossinger pag. 737.

1637 Fr. Aegidius Consoni, Mediolanensis, S. Theol. Mag. qui a scriptoribus dicitur *vir omnium scientiarum gloria illustris*. Fuit Romae ad S. Augustini studiorum regens, et postea Ordinis procurationem obtinuit, quo in munere ita se gessit ut eo agente nulla causa interciderit, dictus propterea a S. Cong. secretario: *Antesignanus et oraculum Procuratorum generalium*. Mediolanum postea reversus, ab Innocentio X Romam revocatus fuit ut esset S. Inquisitionis consultor, ac praesertim ut Jansenianas propositiones examinaret. Debitum naturae persolvit Romae die 6 Martii an. 1650. Vide Ossinger pag. 257, Argelati tom. I part. 2 col. 450, et Piccinelli pag. 167.

1645 Fr. Salvator Severinus Simoncelli, Fabrianensis, alumnus Congr. Perusinae, qui postea fuit totius Ordinis Vicarius gen. Vide pag. 317.

1648 Fr. Philippus Visconti Mediolanensis, qui deinde fuit totius Ordinis Magister Generalis, ac demum Episcopus Catacii. Vide pag. 65.

1649 Fr. Paulus Luchini Pisaurensis, qui postea totius Augustinianae Familiae primatum obtinuit. Vide partis primae pag. 317.

1655 Fr. Leonardus de Caesena, qui ab Ossinger pag. 176 dicitur magnae doctrinae, et prudentiae atque in negotiis tractandis circumspectus. Eodem anno propter longaevam aetatem officium dimisit.

1655 Fr. Petrus Lanfranconi de Ancona qui postea fuit Ordinis Prior Generalis, et Episcopus Interamnae. Vide partis primae pag. 96.

1661 Fr. Hieronymus Valvasori Mediolanensis, qui postea universae Eremitanae Familiae sceptrum adeptus fuit, ac demum Pisauri Episcopatum promeruit. Vide pag. 138.

1667 Fr. Josephus Eusani de Aquila, qui deinde inauguratus fuit Episcopus Helenopolitanus, et Sacrarii Apostolici Praefectus. Vide pag. 225.

1669 Fr. Nicolaus Oliva Senensis, qui subinde Ordinis primatum, et Cortonae Episcopatum adeptus fuit. Vide pag. 75.

1679 Fr. Fulgentius Travalloni de Montelpare, qui postea universo Ordini praefuit. Vide partis primae pag. 318.

1685 Fr. Antonius Pacini de Ravenna, qui deinde universo Ordini praefuit. Vide pag. 320.

1693 Fr. Nicolaus Serani de Interocrea, qui postea totius Ordinis regimini praefectus fuit. Vide pag. 321.

1700 Fr. Aloysius Ferrarius, Mediolanensis S. Theol. Magister, qui obiit Mediolani die 26 Nov. 1705.

1705 Fr. Adeodatus Summanticus, qui postea fuit Prior Generalis, et Episcopus S. Severi. Vide pag. 156.

1711 Fr. Franciscus Maria Querni, Genuensis, qui deinde Vicarii generalis nomine universum Ordinem gubernavit. Vide pag. 323.

1717 Fr. Joannes Andreas Zuffi, Genuensis, S. Theol. Mag. qui decessit die 1 Maji an. 1720.

1720 Fr. Thomas Cervioni de Monte Ilcino, qui subinde fuit Ordinis Moderator Generalis, Episcopus Ravennae, Archiepiscopus Lucae, ac demum Sacrista Apostolicus. Vide pag. 104.

1721 Fr. Fulgentius Bellelli de Pulcinio, celebris scriptor, qui etiam universum Ordinem postea Generalis nomine moderatus fuit. Vide pag. 325.

1726 Fr. Felix Leoni de Juvenatio, qui postea Generalatum Ordinis, et Episcopatum Abellini promeruit. Vide pag. 12.

1733 Fr. Benedictus Augustinus Gattini de Prato in Hetruria claruit multiplici eruditione, modestia, morumque innocentia. Praeceptor fuit nostratis Jo. Laurentii Berti,

a quo in fine Breviarii historici nuncupatur sapientissimus. In coenobio Pisarum priorêm, atque in Volaterrarum seminario professorem egit. Quidquid habuit, pro ornatu Ecclesiae, et pro ampliatione coenobii Pratensis expendit. Mortalis vitae cursum complevit Prati die 26 Jan. an. 1748 aetatis suae 73.

1739 Fr. Andreas Onofri Genuensis, qui iterum eligitur an. 1745. Officium renuntiavit an. 1751, et 1753 obtinuit privilegia ex Priorum Generalium.

1751 Fr. Joannes Alvarez, Hispanus, qui electus die 3 Aprilis officium dimisit 22 Octob. ejusdem an. 1751.

1751 Fr. Franciscus Xaverius Vasquez, Peruanus, qui postea universi Ordinis clavum tenuit. Vide pag. 328.

1751 Fr. Nicolaus Angelus Landini, Florentinus, qui electus fuit die 1 Novembris, et deinde confirmatus in officio Bononiae die 9 Junii an. 1753. Postea inauguratus fuit Episcopus Porphyriensis, et Sacrarii Pontificii Praefectus. Vide pag. 230.

1764 Fr. Antonius Augustinus Giorgi, celeberrimus scriptor, qui postea fuit Vicarius generalis, Vide pag. 330.

1777 Fr. Daniel Marcolini, Patavinus, qui ob religiosam adfiliationem Venetus nuncupatur, quique postea Genestanensis coenobii adfiliationem obtinuit. Iterum Procurator gen. electus fuit an. 1792. Fuit S. Scripturae interpres et parochus in hac ecclesia S. P. Augustini, Italiae assistens, postulator in causis Sanctorum Ordinis nostri, magister sacrarum caeremoniarum, et sacrorum canonum peritissimus. Cultum SS. Virginis de Bono Consilio summopere promovit, in cujus laudem composuit hymnum *Plaude festivo etc.* Item pretiosas notitias collegit ad ejusdem Dominae Nostrae de Bono Consilio sacram imaginem spectantes, quae manuscriptae asservantur in Bibl. Angelica una cum latinis sermonibus ab illo in Sixti IV sacello recitatis, necnon in libro onerum Missarum ecclesiae

S. P. Augustini de Urbe pag. 554, et seq. Ad meliorem vitam transivit Romae die 1 Aprilis an. 1794, aetatis suae 77. Vide Lanteri vol. 3. pag. 341.

1785 Pius Papa VI die 5 Feb. declaravit Procuratorem gen. P. Mag. Petrum Madariaga Assist. Hispanum, cui an. insequenti die 5 Junii successit P. Fr. Dominicus Piccini Bononiensis.

1794 Fr. Dominicus Lippici, qui postea universae Eremitanae Familiae regimen Vicarii gen. nomine adeptus fuit. Vide pag. 334.

1797 Vigore Brevis Benedicti XIV *Ecclesiae Catholicae regimini* quo statuitur ut generalatu vacante Procurator gen. usque ad proximum capitulum generale Vicarii gen. nomine Ordinem regat, et ille inter PP. Magistros Assistentes, qui *ratione Magisterii* praecedit in Procuratoris locum sufficiatur, ob P. Mag. Generalis Stephani Bellisini obitum P. Mag. Dominico Lippici Ordinis sceptrum potito Procuratoris officium suscepit P. Mag. Petrus Lodovicus Albasini a Cocconato. Vide Ord. Reg. ad an. 1797 pag. 12.

1800 Fr. Septimius Rotelli, Picenus, qui deinde pluribus procellosis annis universo Ordini praefuit. Vide pag. 333.

1806 Fr. Nicolaus Salerno de Cornueto, qui erat Italiae Assistens, et Angelicae Bibliothecae Praefectus. Obiit Romae die 30 Octob. an. 1815.

1815 Fr. Josephus Rabù oriundus ex Helvetia, qui absente Rotellio totius Ordinis negotia Commissarii gen. nomine administravit. Vide pag. 339. Ob illius ex morbo contractam mentis hebetationem an. 1820 die 10 Januarii Procuratoris munus exercere coepit P. Mag. Vincentius Canina Pedemontanus, qui fuit celebris concionator, atque egregius plectri tractator.

1722 Fr. Thomas Antolini, qui postea universi Ordinis habenas regendas suscepit. Vide pag. 343.

1829 Fr. Joannes Petrus Augustoni, quo ad Episcopatum Porphyriensem eodem anno promoto, ob renuntiationem P Mag. Fr. Thomae Aurelii Vasconi Bononiensis celebris in illa Universitate juris canonici professoris, Procuratoris officium commissum fuit Fr. Josepho Brunori de Corinalto. Vide pag. 237, et 345.

1835 Fr Xaverius Amoretti, Ligur de Onelia, S. Theol. Mag. electus dum esset Italiae Assistens. Idem fuit postulator in causis Sanctorum, ac Beatorum Ordinis, quod munus magno cum zelo gessit. Ex hac vita migravit Suriani, quo valetudinis causa se contulerat, die 30 Junii an. 1839 aetatis suae 81. Vide Reg. I P. Rmi Angelucci ad diem 6 Julii praefati an. 1839.

1839 P. Mag. Fr. Stephanus Baldassarre, Neapolitanus, qui electus fuit Proc. gen. die 9 Augusti. Hic vir ingenii praestantia atque eruditionis amplitudine paucos pares habuit. Vitae communis perfectae amore captus se contulit ad Neapolitanum S. Mariae Magdalenae coenobium, ibique mansit usque ad obitum, qui contigit an. 1851 aetatis suae 82. Reliquit quaedam poetica typis edita, quae refert Lanteri vol. 3 pag. 321.

1841 P. Mag. Fr. Jacobus Ricca de Civetia in Liguria Occidentali, qui item fuit Italiae Assistens, in Romano Archigymnasio S. Scripturae professor, examinator Cleri Romani, atque consultor Congr. SS. Rituum. In hac alma Urbe scientiarum magistra magnam sibi doctrinae famam comparavit. Ad meliorem vitam transivit dum in patria valetudinis reparandae causa moraretur die 29 Augusti an. 1861, aetatis suae 65.

1844 Praefato Fr. Jacobo Ricca renuntiante officium ingreditur P. Mag. Fr. Josephus Palermo, qui confirmatur an. 1847, et postea universo Ordini, ac Sacrario Apostolico praefuit. Vide pag. 240.

1850 P. Mag. Fr. Josephus Cajazzo Neapolitanus, qui in accepto munere confirmatus fuit an. 1853. Nunc (die 12 Octob. 1875) laudabiliter regit Archiepiscopatum Hydruntinum. Vide pag. 90.

1859 P. Mag. Fr. Joannes Belluomini, qui in praesentiarum Augustinianae naviculae undique procellis exagitatae clavum naviter tenet praestolans cum patientia salutare Dei, qui serius ocius imperabit ventis et mari, et fiet tranquillitas magna. Vide pag. 348.

1865 P. Mag. Fr. Josephus Aggarbati, qui nunc Senogalliensi Ecclesiae cum plausu atque zelo praeest. Vide pag. 164.

1867 P. Mag. Fr. Felix Gigli a Cantalicio in Sabinis, qui electus fuit die 28 Feb. An. 1853 Provinciae Neapolitanae primatum accepit, eratque Firmani in Piceno coenobii prior eo tempore, quo illuc accesserunt novelli sectatores Arnaldi de Brixia docentis *omnia bona temporalia esse laicorum, et injustissime a clericis et monachis detineri*. Qua occasione non paucas peripetias illum sustinere oportuit. In compluribus Italiae cathedralibus cum plausu quadragesimales conciones habuit, fuitque in Mathelicensi Seminario utriusque Theologiae professor. Ejus nunc absentis vices gerit Fr. Josephus Lanteri de Lodano (di Loano) in Liguria occidentali, qui haec scribit.

NOTITIAE CHRONOLOGICAE AD EREMITANUM S. P. AUGUSTINI ORDINEM SPECTANTES.

A Nativitate D. N. J. C. an.

331 Oritur Taguste in Africa (in Numidia) S. M. Monica, quae 13 annos nata Patritio viro nobili ac diviti nupsit. In matrimonio vixit annos 17, duosque filios habuit,

nempe Augustinum, et Navigium, unam filiam nomine Perpetuam, ac binas privignas, scilicet Basilicam, et Felicitatem, quas Patritius in primis nuptiis genuerat. Suis precibus ac hortationibus pia uxor virum tandem ad catholicam fidem convertit, in qua permansit usque ad obitum, qui contigit an. 371 aetatis suae 73. Monica autem obdormivit in Domino apud Ostia Tiberina die 4 Maji an. 387, aetatis suae 56, et filii Augustini 33. Illius sacrae exuviae Romam ad Ecclesiam S. Tryphonis die 9 Aprilis an. 1430 solemni pompa translatae sunt, et postea in Ecclesia S. P. Augustini in mausoleo per Maffaeum Vegium magno sumptu comparato reconditae die 4 Maji an. 1455.

354 Tagaste die 13 Novemb. ortum habuit S. P. Augustinus. Ex Africa Romam venit an. 383, unde an. insequenti Mediolanum se contulit. Ibidem in pervigilio Paschatis an. 387 lustralibus lymphis a D. Ambrosio abluitur. In Africam revertitur an. 388, ibique eodem anno monasticae vitae rudimenta posuit. Sacerdotio initiatur an. 391, atque Episcopus ordinatur 395. Spiritum Deo reddidit Hippone die 28 Augusti an. 430, aetatis suae 76, et Episcopatus 35. Illius sacrum corpus transfertur Calarim in Sardiniam circa an. 509, et postea Ticinum per Luitprandum Longobardorum Regem an. 722.

451 Propter persecutionem Vandalicam e Mauritania in Aethiopiam transmigrarunt quamplurimi monachi induti vestibus nigris atque praecincti zonis sive cingulis ex corio, ibique monasteria fundarunt quae etiam nunc perseverant, quamvis propter haeresim eutychianam a catholica unitate sejuncta. Quae res historicum praebet argumentum antiquitatis Ordinis Eremitani. Vide nostratem Jo. Laurentium Berti in libro de rebus gestis S. Patris Augustini cap. 42 pag. 96.

468 Die 4 Januar. in lucem editur Telepte in Africa S. Fulgentius, ordinatur Episcopus Ruspensis an. 508,

circa an. 520 fundavit monasterium Calaritanum in Sardinia prope ecclesiam S. Saturnini, obiitque in Africa die 1 Januar. an. 533.

429 Obiit S. Alipius Tagastensis S. P. Augustini discipulus, et in conversione socius, qui primus omnium Eremitanum S. Patris Institutum anno 389 amplexus fuit. Creatur patriae Episcopus an. 394, cum Augustino publice disputat contra Donatistas 411, Carthaginensi Concilio interest 416, et navigat in Italiam causa pelagianae haeresis 419. Officium ac Missam ad illius honorem Ordini concessit Clemens X ad instantiam DD. Sacristae Josephi Eusanii die 18 Junii 1671. Habetur illius memoria in Ordinis Breviario ad diem 17 Augusti. Vide Pantheon Augustinianum nostratis Augustini Arpe, ubi etiam reperies notitias de sequentibus antiquis Augustinensibus.

Die 17 Maji in Apulia obdormivit in Domino S. Possidius discipulus S. P. Augustini, ejusque mirabilis vitae accuratissimus scriptor. Augustinianum habitum induit an. 391, publice disputat contra haereticos, et interest Carthaginensi Concilio ut supra jam creatus Calamensis Episcopus ab an. 396. Illius Officium Ordini obtinuit praefatus Eusanius die 19 Decemb. 1671, et habetur in Breviario ad diem 17 Maji. Ejus corpus Mirandulae in Aemilia collocatum est an. 816. Vide nostratem Ambrosium Staibanum in *Templo Eremitano* ubi invenies etiam notitias de aliis antiquis Sanctis Augustinensibus. Agit de S. Possidio pag. 170.

449 Die 2 Septembris martyrium subiit prope Appamias in Gallia S. Antoninus Fredelasii Regis Appamiensis filius, et Theodorici Francorum Regis nepos, qui religiosam vitam juxta Regulam S. P. Augustini an. 399 amplexus prope Salernum 18 annis in monasterio moratus fuit. Multis virtutibus ac miraculis claruit. Ejus reliquiae in Ecclesia Palentina (in Hispania) magna veneratione

asservantur, Officium autem ab immemorabili tempore apud Ordinem celebratur et habetur in novo Breviario ad diem 5 Septembris. Vide etiam Torellium pag. 62 Centuriae primae in qua fit sermo de Beatis ac Sanctis Augustinensibus, qui praecesserunt magnam Ordinis unionem.

456 Die 16 Octobris gloriosam martyrii palmam in Africa sub Genserico Vandalorum Rege Ariano acceperunt nostrates SS. Martinianus et Saturianus cum duobus eorum germanis fratribus, qui cum essent a tyranno persecutore cuidam Vandalo in servitutem traditi, a S. Maxima Virgine Augustiniana servitutis comite ad Christi fidem conversi, atque ad Eremitanum Ordinem in coenobio Trabacensi amplectendum adducti, pro catholicae fidei constantia varia tormentorum genera passi sunt. Demum in vastam quamdam eremum inter Mauros relegati, cum ibidem multos ad Christi ovile perduxissent, vinctis pedibus post terga currentium quadrigarum reptati vitam mundi contempserunt ut coelestem invenirent. Maxima autem post multos superatos agones divinitus liberata in monasterio abbatissa sancto fine quievit. Horum Officium laudatus DD. Eusanius die 6 Augusti 1672 Ordini impetravit. Vide Ordinis Martyrologium, et Breviarium ad diem 16 Octobris, et Staibanum pag. 216, ubi eorum martyrium ponitur ad an. 460.

466 Die 24 Novembris Regii in Aemilia sanctorum mortem oppetiit D. Prosper Aquitanus S. P. Augustini discipulus, qui pro illius doctrina strenue decertavit. Ordinatus fuit illius civitatis Episcopus an. 444. Ejus festum apud nos ex concessione Clementis X (19 Decemb. 1671) die 24 Novembris celebratur. Consule Staibanum pag. 194, et Ord. Breviarium.

483 Die 16 Decembris juxta Ordinis Martyrologium sub Hunnerico Wandalorum Rege in Africa plurimae Ordinis S. P. Augustini Sanctimoniales suspendia, pondera, laminasque ignitas tolerantes ad gloriosam martyrii palmam

feliciter pervenerunt. Ad ipsarum honorem Officium apud Ordinem ex Apostolico Clementis X indulto praedicta 16 Decemb. die celebratur. Lege Torellium Centuriae primae pag. 63, ubi illarum passio ponitur ad an. 450.

496 Die 21 ad coelestem patriam transivit S. Gelasius Afer, qui cum esset e schola et monasterio S. P. Augustini ex Africa Vandalicam persecutionem fugiens in Italiam venit, ubi prope Neapolim monasticam vitam aliquandiu duxit. Postea vero ob egregiam sanctitatis ac doctrinae praestantiam in Summum Pontificem an. 492 electus singulari sapientia et integritate Pontificatum gessit. An. 494 S. Patris Augustini doctrinam Apostolica auctoritate confirmavit. Canonicos Regulares Ordinis S. P. Augustini Laterani collocavit. Ex praefati Clementis X indulto illius festum in Ordine colitur die 20 Novembris. Mortuus est inops quod pauperibus omnia distribuerat. Consule Martyrologium Ordinis, et *Templum Eremitanum* Staibani pag. 199.

1157. Die 10 Feb. in Eremo agri Senensis, quae tunc temporis Stabulum Rhodis dicebatur, spiritum Deo reddidit S. Guilelmus ex Aquitaniae Duce factus Eremita Aug. Ortus est in Gallia an. 1099, Anacleti Antipapae schisma sectatur, et Innocentio II legitimo Pontifici adversatur an. 1133. Redarguitur a D. Bernardo, sed frustra an. 1135. Resipiscit, et Regno se abdicat 1136. Compostellam contendit 1137, et Hierosolymam pedester peregrinatur 1151. In Italiam tandem iterum venit ubi in praefata eremo austerissimam vitam mira constantia usque ad suae peregrinationis terminum traduxit. Inter Sanctos ab Innocentio III an. 1202 relatus fuit. Apud Ordinem habetur illius Officium (tunc semiduplex) jam ab an. 1388 uti constat ex definitionibus Capit. gen. Imolae eodem anno celebrati. Vide etiam Torellium in Centuriis pag. 122, Breviarium historicum Berti secul. 12 cap. 5 in notis, et manuscriptum Marcolini pag. 534.

474 Martyrium SS. Liberati, Bonifacii, et sociorum, quorum memoria in Ordinis Breviario habetur ad diem 23 Augusti ex concessione Clementis X data sub die 20 Junii 1671.

722 Traditur hoc anno Luitprandus Longobardorum Rex coenobium S. P. Augustini Genuae extruxisse. Ex tom. I archivii Ord. sub titulo *Provinciae Aprutii*, *Calabriae*, *Lombardiae etc.* fol. 140.

725 Ob devotionem erga D. Patrem Augustinum, cujus corpus illis diebus Ticinum translatum fuerat, Perusini cives in Umbria coenobium ejusdem Ordinis aedificarunt, cujus ecclesia postea sub Alexandro IV reaedificata fuit, ac SS. Apostolis Philippo et Jacobo nuncupata. Ex tom. 3 sub titulo *Provincia Senarum, Venetiarum, Umbriae etc.* fol. 137.

767 Reperitur liber sermonum S. P. Augustini *ad Fratres in Eremo* ex qua inventione saltem eruitur argumentum antiquitatis Ordinis Eremitani. Vide Berti de rebus gestis S. P. Augustini cap. 35.

774 Iugurta Tomasi lib. 4 hist. Senensium pag. 110 ad an. 774 scribit: *Fra Regolari si ricordavano li monaci Benedettini, e gli Agostiniani.* Vide Marcolini in libro onerum Missarum ecclesiae S. Augustini pag. 636. Nota quod dicuntur monachi, non autem canonici.

775 Extabat prope Westphaliam coenobium Beylanense, alias Mariaevalense Ord. Eremitarum Augustinensium in Ducatu Cliviae situm, quod an. 1775 adhuc ad nostratem Coloniensem provinciam pertinebat. Ex manuscripta relatione quae asservatur in archivio P. Rmi Generalis.

813 Fit mentio coenobii Eremitani Tudensis in Lusitania. Vide Herr. tom. 2 pag. 466.

844 Jam existebat Eremitanum coenobium ad Centumcellas (Civitavecchia) prout scribunt Jordanus de Saxonia in libro de vitis Fratrum cap. 16 prope finem, Her-

rera tom. I pag. 154, et Berti de rebus gestis S. P. A. cap. 20 pag. 40.

807 Ex hac vita migrarunt nostrates BB. Benignus et Carus Venorenses, qui in eremo juxta Malsesenium in dioecesi Veronensi puritate vitae et multis miraculis floruerunt. Anno autem 1314 Theobaldus Eremita Augustinensis et Veronensis Antistes Sacellum Malsesenii, in quo jam a quinque saeculis eorumdem Beatorum corpora venerabantur, magnificentius extructum consecravit, sacrasque reliquias in arca lapidea composuit. Illorum officium die 10 Septemb. 1782 Clero dioecesi Veronensis indultum fuit, et die I ejusdem mensis 1838 ad universum Eremitanum Ordinem extensum. Vide Breviarium Ordinis ad diem 21 Julii, et vitas BB. Evangelistae, et Peregrini editas Veronae 1808 pag. 27.

1000 Extabat coenobium Erem. S. P. Augustini Montiscagliosi in Basilicata prout legitur in tom. 2 archivii totius Ordinis sub titulo *Provincia Neapolitana* etc. pag. 306.

1040 Eremitae Augustinenses, jam degebant in coenobio S. Marci Mediolani. Vide Torellium ad praefatum an. pag. 432.

1047 Bretislaus Bohemiae Dux coenobium Pivoniae aedificavit, et eo *introduxit Fratres Ordinis S. Augustini*. Agi autem hic de Eremitis Augustinensibus constat ex epistola Bonifacii IX an. 1401 missa ad Priores et Fratres *Domus S. Mariae de Pivonia Ordinis FF. Eremitarum S. Augustini*. Vide Torellium tom. 3 pag. 436, et Herreram tom. 2 pag. 290.

1050 Paulus Morigia Jesuatus in *Summario chronologico* edito Bergomi 1601 lib. 2 pag. 200 ex testimonio Francisci Thomae civis Senensis *affirmat hunc locum (Ilicetum) fuisse habitatum etiam ab anno 1050 a Fratribus Eremitis S. Augustini*. Vide Herreram tom. I

pag. 492. Sciendum tamen est quod Illicetana Congregatio tunc temporis nondum instituta erat, licet coenobium illud jam extaret. Inspice etiam in libro onerum Missarum S. Augustini de Urbe memorias manuscriptas Marcolini pag. 644.

1100 Fundatur conventus Erem. Ordinis Aesii in Piceno. Torellius tom. 3 pag. 498.

1101 Habetur memoria Eremitani coenobii S. Jacobi de Aquaviva prope Pisas in Tuscia. Vide Herreram tom. I pag. 67, et indicem manuscriptum qui asservatur in archivio Ordinis.

1120 Fr. Bonifacius Falerius, qui an. 1120 juxta Ughellum Episcopus Castelli (Venetiarum) ex Eremita Augustiniani Ordinis ordinatus fuit, evidens argumentum suppeditat antiquitatis Ord. Eremitani. Vide partis primae pag. 184.

1123 Sigonius lib. 2 histor. Bononiensis loquens de Ordinibus religiosis ad praefatum annum haec scribit: *Reliquum Dei cultum Canonici, atque Eremitae Augustiniani, et monaci Benedictini fovebant, ex quibus Canonici in urbe aedem B. Joannis, et B. Barbationi, extra urbem B. Victoris, et B. Mariae Rhenanae tenebant. Monachi in urbe aedes B. Stephani, et Proculi, in suburbio D. Felicis. Eremitae extra urbem aedes B. Michaelis, et B. Jacobi, quorum ille in Busco, hic ad Sapinam dicebatur.* Est aliud luculentum argumentum antiquitatis Ordinis Eremitani S. P. Augustini

1129 Rogerius Normannus Neapolis, et Siciliae Rex aedificavit in eadem urbe coenobium S. Augustini vulgo *alla zecca*, quod hisce temporibus *vi juris moderni* coenobitis ablatum laicis venditum fuit. Antiqui Reges coenobia erigebant, hodierni autem evertunt. Quinam ex ipsis satius agunt? Vide in Ord. archivio tom. 2 sub titulo *Provincia Neapolis* pag. 1.

1159 Alexander III Ordini nostro concessit Eremitorium SS. Trinitatis Suriani in patrimonio S. Petri inter Cyminos montes, ubi absconditam in Christo vitam degere solebat ante Cardinalatum noster Aegidius Viterbiensis. Hoc nostri Ordinis antiquitatis monumentum hisce nunc diebus a laico possessore pro parietinis utendis dirutum fuit. Vide Seripandum in Commentario rerum Ordinis ad praefatum an. 1159, et Empoli pag. 390.

1160 Legitur in tom. 5 archivii Ord. sub titulo *Cong. Genuae, Iliceti etc.* Episcopus Senensis consecrasse ecclesiam coenobii Montis Speculi, in quo tunc Eremitae Augustinenses degebant.

1168 Mantuae ex familia Bonomi nascitur B. Joannes Bonus, cujus pater Joannes, et mater Bona vocabatur, unde ipse Joannes Bonus appellatus fuit. Adolescens saeculi blandimenta sectatur; verum ad saniorem mentem reversus Augustinianam tunicam induit an. 1204. Deinde per totam Italiam plurima ejusdem Ordinis coenobia aedificavit. Ravennatum dissidia composuit an. 1225. Angeli monitu Mantuam revertitur, ibique poenitentiae virtute et miraculorum praestantia insignis die 23 Aprilis ex hac vita migravit an. 1249, aetatis suae 81. Illius officium et Missam Aug. Ordini Clemens X indulsit die 5 Octob. an. 1672 cum jam ab. an. 1483 a Sixto IV inter Beatos relatus fuisset. Vide Lanteri vol. I pag. 126, et Empoli pag. 392.

1178 Extabat coenobium Erem. Ordinis S. Luciae de Sargnano septem milliaria procul a Volaterris in Tuscia, in quo Augustinenses Eremitae a multo jam tempore habitabant. Vide ad praefatum annum indicem manuscriptum, qui asservatur in Ordinis archivio.

1192 Fr. Joannes nominatur ceu Prior Eremitarum S. P. Augustini Ulyssipone in Lusitania degentium. Vide nostratem Marquez de origine Fratrum Erem. S. P. Augustini cap. 18 pag. 323.

1193 Fundatur coenobium Eremitanum Brundusii sub Rege Tancredo Normanno in eo loco, ubi situm olim erat regale palatium. Vide archivii Ord. tom. 2 sub tit. *Provincia Neapolis* etc. pag. 300, et praefatum indicem.

1197 Habetur mentio coenobii Eremitani sub titulo S. Stephani extra urbem Ferrariensem in Romandiola. Vide Herreram tom. I pag. 253, et praefatum manuscriptum indicem.

1198 Bollandistae ad diem 10 Feb. pag. 473 affirmant: *Fuisse diu ante Innocentium III varios ubique Eremitas secundum regulam S. Augustini degentes.* Notandum autem est Innocentium III in Summum Pontificem electum fuisse praefato an. 1198. Idem Innocentius III confirmavit Eremitis Augustinensibus conventum Lucensem, qui tunc temporis locum occupabat ubi nunc est propugnaculum S. Columbani. Vide Empoli pag. 391.

1201 Jam extabat coenobium S. Augustini de Rosia prope Senas in Tuscia. Vide Herreram tom. 2 pag. 409.

1202 Fullonius e Societate Jesu historiae Leodiensis tom. I lib. 4 pag. 303 ab an. 1200 ad 1202 edit. Leodii 1735 haec scribit: *Sub hunc etiam annum Augustiniani Instituti Eremitae Lovanii sedes fixisse memorantur.*

1215 Extra omnem dubitationem habenda est ante hunc annum existentia Eremitani Ordinis; nam Concilium Lugdunense II habitum an. 1272 declaravit canone 23 de Religiosis Ordinibus quod *Eremitarum Sancti Augustini Ordinis institutio Concilium Lateranense IV an. 1215 celebratum praecessit.* Vide partis primae pag. 6.

1218 Morabantur Florentiae Augustiniani Eremitae, quibus concredita fuit custodia nosocomii S. Mariae de Populo siti extra portam S. Galli. Consule P. Richa Jesuitam in notitiis Florent. tom. I lectione 21 n. 7.

1226 Jam degebant in Romano S. Mariae de Populo coenobio Eremitae Augustinenses; nam praefato anno ibidem obiisse constat quemdam P. Fr. Joannem ejusdem coenobii Priorem. Vide Marcolini in saepe jam laudato libro manuscripto pag. 646. Ecclesia autem S. Mariae de Populo nuncupatur eo quia populi Romani sumptibus tempore Paschalis II an. 1099 aedificata fuit, eamque idem Summus Pontifex anno sequenti in honorem Deiparae solemni ritu consecravit, addito ingenti Indulgentiarum thesauro pro iis qui Ecclesiam ipsam praescriptis diebus ac debita cum devotione frequentarent. Sixtus autem IV (electus 9 Augusti 1471) Ecclesiam vetustam ac angustiorem quam populorum affluxus exigebat, solo aequat, novamque pro loci capacitate ampliatam opere sumptuoso erigit, ac demum Pius IV hanc aedem Marianam ob imminentium bellorum metum ne hostis illuc irrumperet, sub Paulo IV solo aequatam, reddita pace sollicite ad pristinum nitorem curavit reparari circa annum 1560. Ex nostrate Angelo Hoggmair in opusculo de monasteriis Romanis Ord. Erem. fere ad litteram.

1244 Summus Pontifex Innocentius IV sub die 16 Decemb. universis Eremitis per Tusciam constitutis *per Apostolica scripta mandavit quatenus in unum se regulare propositum conformantes, Regulam Beati Augustini et Ordinem assumant, ac secundum eum profiteantur de caetero se victuros, salvis observantiis, seu constitutionibus ab illis faciendis, dummodo ejusdem Ordinis non obvient institutis*. Ex Empoli pag. 164 pene ad litteram.

1246 Primus Ordinis Eremitani Cardinalis Protector fuit Richardus Annibaldeschi de Molara ab Innocentio IV ad id muneris an. 1246 designatus. Ipse sub nomine Richardi Card. S. Angeli praecipuam partem habuit in promovenda magna ac generali ejusdem Ordinis unione, quam conficere valuit an. 1256 sub Alexandro IV. In bibliotheca

Carmelitana P. Cosmae Villiers de S. Stephano tom. I ubi incipit series Cardinalium Protectorum ejusdem Ordinis haec leguntur: *Cardinalis Protectoris Ordinum Religiosorum origo ducitur, inquit SS. DD. Benedictus XIV in oratione, quam habuit die 23 Maji 1744 ad Carmelitas Romae congregatos pro electione Prioris Generalis, a temporibus D. Francisci, qui in Regula cum praecepisset suis Fratribus ut a Romano Pontifice Ordinis a se instituti Protectorem precibus impetrarent, aliis quoque Religiosis Ordinibus hoc ipsum ab Apostolica Sede obtinendi normam dedit.* Vide etiam Moroni vol. 2 pag: 91.

1250 Sanctitate florebat B. Gesius, seu Genesius de S. Miniato Ordinis Erem. S. P. Augustini, cujus sacras reliquias in nostra Lucensi Ecclesia publicae venerationi expositas ego ipse vidi. Nunc autem illa Ecclesia ab hodiernis dominatoribus divino cultui ablata fuit. Vide *Delicias eruditorum* clarissimi Lami edit. an. 1769 pag. 267, Marcolini pag. 646, et Torellium tom. 4 pag. 516.

1252 Per laudatum Summum Pontificem Innocentium IV sub die 16 Maji in unum corpus sub Generali Lanfranco Septala uniuntur Eremitae Augustinenses Lombardiae, et Romandiolae. Vide Empoli pag. 176.

1256 Alexander IV die 9 Aprilis confirmavit unionem generalem diversarum Congregationum Ordinis Eremitarum S. P. Augustini peractam in coenobio S. Mariae de Populo Urbis per Richardum Cardinalem S. Angeli. Vide Bullarium Empoli pag. 18.

1257 Die 5 Aprilis in coenobio Villariensi Ord. Cisterciensis in Brabantia obdormivit in Domino B. Juliana de Cornelione Ord. Erem. S. P. Augustini sancta nuncupata, quae divinis revelationibus illustrata festum SS. Corporis Christi institui curavit, et post multos labores, diuturnum exilium, et gravissimas aerumnas, meritis, miraculis, spiritu prophetico, et supernis consolationibus decorata

migravit ad Sponsum. Primam lucem aspexerat Retimnae prope Leodium an. 1192. Illius officium an. 1869 a S. Sede approbatum, ad nostrum Eremitanum Ordinem die 1 Septemb. 1870 extensum fuit, atque diei 7 Aprilis assignatum. Vide Bollandistas ad diem 5 Aprilis, et lectiones Breviarii, ex quibus fontibus facile eruere poteris ad Cistercienses non pertinere nisi ratione tumulationis, atque fuisse *Augustinianam nigram*, idest Ordinis Eremitani.

1258 Innocentius IV die 10 Aprilis de nostro Erem. Ordine ita scripsit ad praefatum Richardum Diaconum Card. S. Angeli: *Sic Ordo Fratrum Eremitarum S. Augustini a suis primordiis (gratia cooperante divina) de virtute in virtutem successive profecit, quod velut lignum fructiferum in Ecclesiae agro plantatum, flores proferens copiosius honestatis, et producens uberius fructum vitae praecelsa regularis observantiae sanctimonia, et praeclaris virtutum operibus specialiter extitit insignitum etc.* Vide Empoli pag. 30

1262 die 16 Septembris e coenobio Montorii prope Veronam sito intra urbem in Ecclesiam S. Euphemiae translatae sunt reliquiae nostratum BB. Evangelistae, et Peregrini Veronensium, qui paullo ante in praefatum Montorii coenobio virtutibus praesertim obedientiae et humilitatis, ac miraculorum dono illustres ex hac vita migraverant. Illorum officium Augustinianae Familiae, atque Veronensi Clero die 19 Maji 1838 indultum fuit. Non constat dies nativitatis eorum, licet certum sit illos Veronae circa an. 1200 primam lucem aspexisse. Vide Bollandistas ad diem 26 Julii pag. 342, et 346, et Lanteri vol. I pag. 95. Juxta Moronium vol. 94 pag. 151 Augustinenses Eremitae ecclesiam S. Augustini Montorii an. 1243 aedificarunt.

1284 In chronologia promotionis, ad Magisterium, quae typis impressa habetur ad calcem Bullarii Empoli in archivio P. Rmi Generalis pag. I affertur sequens decre-

tum ex antiquis Ordinis constitutionibus confirmatis in Capitulis gen. Urbeveteris an. 1284, Florentiae 1287, et Ratisbonae 1290: *Nolumus tamen ad Lectores, qui interdum mittuntur Parisios ut ad Magisterium perveniant theologicae facultatis praesentem constitutionem extendi.* Magisterium autem tunc obtinebatur vel in aliqua publica Universitate de licentia tamen P. Rm̃i Generalis, vel per Breve Apostolicum, uti infertur utrumque ex sequentibus verbis in praefata chronologia pag. I ex antiquis Ordinis Constitutionibus allatis: *Alioquin ab eodem Priore Generali licentientur ad suscipiendum gradum in probata aliqua theologorum facultate.* En primus casus. Quoad alterum autem en alia verba: *Idem dicimus de Magistris factis per Summum Pontificem, qui habent privilegia, quae aequantur in omnibus gratiis Ordinis Magistris Parisiensibus.* Primus ex nostratibus, qui magistralem, sive doctoralem lauream accepit (1288) est Fr. Aegidius Columna de Roma.

1286 Nobilis quidam vir Aegidius de Lufredis civis Romanus quasdam domos sitas prope Ecclesiam S. Tryphonis (quae situm occupabat ubi nunc est atrium triclinii coenobii S. Augustini) Eremitis Augustinensibus S. Mariae de Populo donavit ut ibidem pro majori Eremitici Ordinis incremento ecclesiam novam cum monasterio aedificarent. Pii operis molitionem Honorius IV Summus Pontifex nedum auctoritate Apostolica adprobavit, verum etiam alio beneficio summopere promovit, dum litteris Apostolicis datis sub die 20 Feb. 1286 ipsam S. Tryphonis Ecclesiam (fundatam a Crescentio Urbis Praefecto an. 957) cum domibus ad illam pertinentibus, cum vineis, terris, possessionibus, aliisque juribus adscito Purpuratorum Patrum consilio Ordini Eremitano in perpetuum concessit ac univit, reservatis tamen fructibus, ac juribus parochialibus Archipresbytero Joanni, et clericis ejusdem Ecclesiae S. Try-

phonis, *quousque ipsis contigerit alibi provideri*. Vide Bullarium Empoli pag. 161. Augustinenses itaque Eremitae tam amplo ad aedificandum spatio et jure aucti structuram coenobii mox coepere, sacra vero faciebant in praefata S. Tryphonis Ecclesia, ad quam an. 1430 ex Ostiis Tyberinis Corpus S. Matris Monicae translatum fuit. Verum cum hoc S. Tryphonis templum nimis esset angustum, ac minus commodum idcirco nostrates circa an. 1425 novam sub Divi Augustini nomine Ecclesiam extruxere, atque in illam in sacellum a Maffaejo Vegio extructum S. Matris Monicae corpus die 4 Maji 1455 transtulerunt. Verum praefata nova Ecclesia non diu ultra annos 50 stetit; nam Card. Guilelmus de Esteutevilla Ord. S. Benedicti Episcopus Ostiensis, ac in Gallia Archiep. Rothomagensis Eremitani Ordinis munificentissimus Protector pro sua in D. P. Augustinum veneratione, ac in praefatum Ordinem benevolentia aliud nobilissimum in ejusdem locum substituit templum primo lapide in fundamentis posito die 1 Novembris an. 1479. Ipsemet Generalis Ambrosius Massari de Cora die 4 Novembris ejusdem an. 1479 cum aliis 60 nostratibus totum in circuitu fundamentorum locum effodere coepit, quem die 25 solemniter benedixit. Integrum demum aedificium juxta diagrammata Jacobi de Petra Sancta, et Sebastiani de Florentia famosorum illius aevi artificum perfectum fuit an. 1482. Lapides ex ruinis Amphitheatri Vespasiani ad frontem Ecclesiae construendam adhibitos fuisse memoriae proditum est. Tholus autem (vulgo cuppola) primus est qui Romae extructus fuerit, ideoque pro aliorum exemplari extitit. An. 1624 erectum fuit altare majus juxta diagraphicem Bernini, quod hisce temporibus quaedam lucri cupida artificum secta, quae sub praetextu promovendi Ecclesiae venustatem quaerebat quae sua sunt, bardorum qui in omni hominum coetu numquam desunt auxilio freta omnimodis evertere sategit crepantibus

buccis per universam Urbem clamitans altare majus Ecclesiae S. Augustini post nuperrimam instaurationem nedum absonum, verum etiam indecorum evasisse. Ast vivat semper nomen P. Mag. Angeli Antonii Lombardi ejusdem Ecclesiae parochus, qui verae ac solidae venustatis amator ut egregium opus a demolitione liberaret, ipsam aram majorem suis sumptibus expolivit atque inauravit, eamque illi nobiliorem faciem induit, qua ipsis quoque peritioribus architectis novo totius Ecclesiae decori optime congruere visa fuit; quare obloquentium procacitas oppilavit os suum. Praefata autem nuperrima S. Augustini de Urbe Ecclesiae instauratio incoepta fuit sub Priore Generali Josepho Palermo an. 1856 et ad terminum perducta sub Gen. Jo. Belluomini an. 1868 auspice praesertim DD. Sacrista Suae Sanctitatis Francisco Marinelli ingenti sumptu cum coenobitarum, tum Sanctuarii Beatissimae Virginis de Partu, quae magna in eadem Ecclesia veneratione quotidie a confluenti populo honoratur. Icones autem recentiores affabre elaboratas, aureaque aetate revera dignas tectorio udo (a fresco) appinxit Petrus Gagliardi Romanus. Expensa sunt scutata romana circiter 120000. Sub Generali Augustino Gioja an. 1746 vetus coenobium de medio sublatum est, ut in ejus locum hoc praesens magnificentissimum sufficeretur, in quo nunc agit publicum marinae ministerium. Integrum aedificium perfectum fuit sub. Gen. Fr. Xaverio Vasquex an. 1765 erogatis expensis (scutat. 182060) ab Augustinensibus Eremitis omnium nationum. Ex nostratibus Thoma Bonasoli, atque Angelo Hoggmair.

1290 B. Clemens ab Auximo tunc temporis Prior Generalis nostratibus Eremitis districtus Pisarum per publicum chirographum subscriptum a notario Jacobo Carabone facultatem facit vendendi eremitoria ejusdem districtus ut coenobium intra praefatam urbem extruere valeant. Ere-

mitoria quae in eodem chirographo nominantur sunt : 1. S. Salvatoris de *Cavina*, 2. S. Jacobi de *Aquaviva*, 3. S. Mariae de *Monteforti*, 4. S. M. Magdalenae de *Pereta*, 5. S. Bernardi de *Costa-Aqua*, 6. Caprolckii, 7. Ressignani. Ex Marcolini pag. 548 saepe citati libri onerum Missarum.

1305 Die 10 Septembris Tolentino ad coelestem patriam evolavit S. Nicolaus multorum miraculorum patrator. Alii scriptores inter quos recensetur etiam Berti in Breviario historico cap. 5 illius obitum an. 1309 assignant. Natus est in oppido S. Angeli in Pontano in Piceno an. 1249. Septennis Christum in Eucharistia aspicit an. 1256. Eremitanum Ordinem ingreditur 1259. Solemnia vota emittit 1264. Maceratae, Firmi, Pisauri habitat usque ad an. 1275. Transmigrationi sacrae Lauretanae Domus interfuit an. 1294, eamque praedixerat an. 1291 juxta nostratem Jo. Bapt. Cotta in vita B. Antonii Turriani cap. 13 pag. 39. Post transitum reciduntur illi brachia, et sanguine fluunt an. 1345. Sanctorum catalogo adscribitur ab Eugenio IV die 6 Junii 1446.

1306 Placentiae obdormivit in Domino B. Philippus, saeculi fastus contemptu , animi demissione, orandique studio illustris. Ortus est in praefata urbe ex nobili Susanorum genere circa an. 1250. Cultus ab immemorabili tempore illi praestitus confirmatur die 23 Augusti an. 1766.

1308 Die 17 Augusti ad Superos evolavit B. Clara de Montefalco vitae puritate, ac praeclaris virtutibus insignis , in cujus visceribus Dominicae Passionis mysteria venerantur. Orta est in praefato Umbriae oppido an. 1268. In monasterio sub Regula S. P. Augustini a B. Joanna ipsius germana sorore fundato velum accipit an. 1290 , eligitur abbatissa 1295 ob praefatae sororis obitum , et sacris stigmatibus insignitur 1303. Officium, et Missam ad illius honorem Augustinianae Religioni indulsit Urbanus VIII die 14 Augusti an. 1624. Ejus corpus integrum

ac vegetum apud nostrates ejusdem oppidi Sanctimoniales asservatur. Eleganti stylo vitae illius historiam narravit, typisque edidit noster P. Mag. Laurentius Tardy, qui obiit Romae an. 1848.

1310 Die 19 Maji in coenobio S. Leonardi prope Senas in Tuscia spiritum Deo reddidit B. Augustinus Novellus, multis virtutibus, ac praesertim humilitate conspicuus. Illius sacrae exuviae in eadem urbe in templo S. P. Augustini coluntur. An. 1262 erat secretarius Manfredi Siciliae Regis. Vulneratur in praelio ad Beneventum die 27 Feb. 1266. Eodem anno ad meliorem frugem revertitur, et Aug. cucullum induit. Senas incognitus migrat, ibique Sacerdotio initiatur 1288. Eodem anno a Nicolao IV in pontificium confessarium, et Sacristam assumitur. Mediolani eligitur Generalis 1298, officium sponte dimittit 1300. Cultus ab immemorabili tempore illi praestitus approbatur 15 Julii 1759, et Officium, ac Missa conceduntur die 29 Martii 1760.

1310 Die 4. Januarii in monasterio S. Mariae Novellae sub regula S. P. Augustini ab ipsa in oppido S. Crucis Vallis Arni in Lucensi dioecesi fundato vitae sanctimonia ac miraculis clara ad coelestem Sponsum migravit B. Oringa vulgo ideo Christiana nuncupata quia christianis virtutibus praefulgebat. Habebat annos 70. Antequam Augustinianum Institutum amplecteretur tertii Ordinis S. Francisci habitu induta incedebat; quare a quibusdam Franciscano Ordini attribuitur. Verum ad omnem dubitationis umbram eliminandam affertur a nostrate Marcolini pag. 529 diploma Joannis Salvuzzi Episcopi Lucensis Ordinis S. Francisci datum an. 1386 quod est tenoris sequentis: *Dilectis in Christo Filiabus Abbatissae, conventui, capitulo, atque Sororibus universis et singulis almi monasterii SS. Mariae Novellae, et Archangeli Michaelis Castri S. Crucis Vallis Arni inferioris nostrae Lucanae Dioecesis a Beata*

Christiana sub regula Beati Augustini canonice fundati, et sub perpetua clausura viventibus etc. Extabat jam praefatum asceterium an. 1284. Vide laudatum Lami in *Deliciis eruditorum* edit. Florentiae 1769 pag. 311. Officium ad B. Christianae honorem quod in praefato monasterio jam antea (ab an. 1624) recitabatur, ut scribit Torellius Centuria 2 pag. 188, ad universum Ordinem an. 1777 extensum fuit, et an. 1784 die 18 Decemb. ex ritu semiduplici ad duplicem elevatum. Celebratur die 18 Feb.

Circa idem tempus florebat noster Fr. Nicolaus Brunus de Messana vir pietate atque doctrina spectabilis, qui auspex, et promotor fuit praecellentis erga Deiparam venerationis sub titulo *de Succursu* Vide Lanteri vol. I pag. 149, et Rochum Pyrrum Siciliae Sacrae tom. I pag. 219. Officium ad honorem B. Virginis nuncupatae de Succursu nostratibus Siculis indulsit Pius VII die 4 Feb. 1804, et ad universum Ordinem extendit die 24 Martii ejusdem anni.

Item circa idem tempus, nempe circa an. 1306 meritis onustus, senioque confectus in patria sancto fine quievit B. Petrus Eugubinus, qui fuit Eremitani Ordinis sedulus propagator. Claruit vitae sanctimonia, doctrina, atque evangelicae praedicationis zelo. Illius immemorabilem cultum Pius IX confirmavit, et Officium universo Ordini concessit die 11 Septemb. 1847.

1311 Apud Monticianum in districtu urbis Senensis diebus, meritisque cumulatus spiritum Deo reddidit B. Antonius Patrizi Senensis ex ea perantiqua, ac nobili familia ortus, ex qua Eñus Dñus Card. Constantinus Patrizi Urbis Vicarius, atque Eremitani Ordinis Protector originem trahit. Ob diuturnum in ejusdem nominis oppido incolatum vocatur etiam B. Antonius de Monticiano. Torellius in Centuria 2 pag. 202 censet illum ex hac vita migrasse circa an. 1330. Cultum ecclesiasticum ab im-

memorabili tempore illi praestitum Pius VII confirmavit. Festum celebratur die 28 Martii.

1316 Die 22 Decemb. Avenione in Gallia ex hac vita migravit Cardinalis Aegidius Columna annos natus 69. Vide Breviarium Berti saec. 13, cap. 4 pag. 99 edit. Bassani 1767.

1322 Die 20 Aprilis Bononiae obdormivit in Domino B. Simon Rinalducci de Tuderto, qui eximii concionatoris nomine, virtute patientiae, ac miraculorum dono clarus fuit. Primam lucem aspexit Tuderti an. 1280. Illius cultus immemorabilis confirmatus fuit die 17 Augusti 1833, et Officium habetur in Breviario sub die 20 Aprilis.

1323 Die 2 Aprilis Parisiis ad meliorem vitam transivit Fr. Albertus Patavinus annos natus 58. Vir fuit suae aetatis eruditissimus, et theologorum princeps, cui Patavina civitas marmoream statuam erexit. Vide Tiraboschi tom. V part. I pag. 191.

1326 In actibus capituli provincialis habiti Urbeveteri mense Majo legitur: *Item in eodem capitulo quilibet locus de provincia solvit unum florenum pro adjutorio expensarum pro canonizatione S. Nicolai, et multi Fratres speciale fecerunt adjutorium pro dicto negotio.*

Eodem anno statutum fuit *quod Ordo noster in Romana Curia postulet Protectorem.* Ex manuscripto Marcolini pag. 531.

1328 Neapoli die 2 Aprilis ad meliorem vitam transivit Augustinus Trionfi de Ancona celebris scriptor annos natus 85.

1331 Per publicum notarium praesentibus nostratibus P. Rmo Guilelmo de Cremona, P. Mag. Lanfranco de Mediolano, necnon P. Provinciali Rinaldo de Brixia ostenditur Canonicis Regularibus Papiae Bulla Joannis XXII, qua conceditur Eremitis Augustinensibus facultas extruendi coenobium prope Ecclesiam S. Petri in *Coelo aureo* ubi

tunc S. P. Augustini corpus asservabatur. Latuit sacrum pignus in eadem ecclesia in crypta Confessionis inter puteum aquae salutaris , et altare inferius usque ad an. 1695 , quo albus marmoreus sarcophagus ibidem die 1 Octob. repertus fuit, in quo custodiebatur arca argentea, quae S. Patris ossa continebat. Tam pretiosus thesaurus an. 1832 ad Ecclesiam Cathedralem praefatae urbis Papiensis translatus fuit. Vide Benedicti XIII const. emanatam die 22 Sept. 1728, qua judicium Papiensis Episcopi de identitate corporis S. P. Aug. approbatur. De eadem inventione egregie scripsit noster Fulgentius Bellelli.

1336 In florenti adhuc aetate in patria diem extremum clausit Fr. Gerardus Senensis, qui fuit unus e celebrioribus illius aetatis scriptor.

1340 Ferme octogenarius ex hac vita migravit Fr. Henricus de Urimaria, (qui locus est in Thuringia) vir sanctitate et doctrina illustris , qui inter praecipuos illius aevi scriptores recensetur.

1342 Die 14 Januarii Neapoli in Regia Curia obiit Dionysius de Roberti a Burgo S. Sepulchri, qui an. 1339 die 17 Martii·Monopolis Episcopatum obtinuerat. Amicissimus fuit celeberrimi Petrarchae et Roberto Neapolis Regi valde acceptus ceu vir omni eruditionis genere ornatissimus. Ab eodem Petrarcha summis laudibus celebratur. Vide partis primae pag. 114, et Tiraboschi tom. V part. I pag. 184.

1343 Longitudine dierum repletus prope Rheatem ad Superos evolavit B. Gregorius Celli Veruculi in Aemilia an. 1225 ortus. Vixit annos 118. Cultus ab immemorabili tempore illi praestitus die 20 Decemb. 1766 confirmatus fuit.

1347 Die 1 Augusti Rheate in Umbria ad coelestem patriam raptus est angelicus iuvenis B. Joannes de Bufalariis nobilis Amerinus, et nostratis B. Luciae germanus

frater, qui cum esset Ordinis nostri clericus professus, et quadam die Sacerdoti Sacrum facienti deserviret, dignatus fuit a Beatissima Virgine proximae mortis nuncium accipere. Illius cultus immemorabilis approbatus fuit a Gregorio XVI an. 1832.

1348 Die 2 Feb. ad coelestem gloriam Florentia transivit B. Simon de Cassia in praefato oppido e nobili Fidatorum familia circa an. 1280 ortus. Vir fuit vitae sanctitate, et mirabilium visionum dono illustris. Cum esset celebris scriptor reliquit egregium opus *de gestis Domini Salvatoris*. Ejus cultum immemorabilem confirmavit Gregorius XVI die 26 Aprilis 1834. Officium in toto Ordine recitatur die 3 Feb. Idem B. Simon Ecclesiae nostrae Perusiae, et Cassiae pretiosam reliquiam donavit, nempe quamdam chartam, in qua Senis in Tuscia quidam Sacerdos SS. Eucharistiam involverat, eamque postea sanguine manantem invenit. Tunc temporis Senis concionandi gratia morabatur noster B. Fidatus, cui praefatus Sacerdos suum erratum patefecit, atque librum, et sacram particulam in eodem clausam tradidit. De eadem pretiosa reliquia verba facit Bonifacius IX in sua Bulla Apostol. emanata Pontificatus sui an. 12, in qua inter caetera haec habet: *Cupientes ut Ecclesia domus S. Augustini de Cassia Ord. Fratrum Eremit. S. Augustini Spoletanae dioecesis, in qua esse dicitur charta cum guttis Sanguinis Christi miraculose sparsis, a Christifidelibus congruis honoribus frequentetur, et etiam conservetur*. Per multos annos nostrates Cassiani praefatam chartam in SS. Corporis Christi festivitate in solemni processione deferre consueverunt. Vide Marcolini in saepe citato manuscripto libro onerum Missarum Eccl. S. P. Aug. de Urbe pag. 574.

1357 Viennae in Austria decessit Thomas de Argentina, Germanus. Ord. Gen. et Herbipopoli in Franconia Hermannus de Schildicz, item Germanus, ambo celebres scriptores.

1358 Viennae in Austria vita fungitur Gregorius Ariminensis, Ord. Gen. et insignis theologus, uti illius scripta testantur.

1369 Die 28 Octobris hanc mortalem vitam finivit Bonsemblantes Cardinalis Baduarii germanus frater, et amicus Petrarchae. Vixit doctissimus vir annos 42.

1370 Cortonae in Hetruria sancto fine quievit B. Ugolinus Zephirinus, qui ibidem ex nobili progenie ortus erat an. 1320. Claruit angelicis moribus, ac praesertim virginitatis perpetuae candore, in cujus rei testimonium ex ejus latere triginta post obitum annis lilia germinasse fertur. Ejus cultum immemorabilem Pius VII confirmavit.

1272 Certaldi in Hetruria die 9 Januarii ad supernam patriam evolavit B. Julia vulgo Certaldensis nuncupata, quae nobilitate generis, sed magis virtutum splendore, ac rerum humanarum contemptu illustris triginta annis sub regula tertii Ordinis S. P. Augustini coelesti Sponso fideliter inservivit. Cultus ecclesiasticus ab immemorabili tempore illi praestitus an. 1818 a Pio VII confirmatus fuit.

1374 Joannes Laurentius Berti de theologicis disciplinis lib. 33 cap. 8 loquens de miraculis, quae realem in Eucharistia Corporis Christi praesentiam confirmant ad nostri Ordinis historiam refert duo miracula duarum hostiarum in carnem conversarum, quarum unam nostrates Lovanienses in Belgio religiose servabant, altera autem Offidae in Ecclesia Ordinis in summa veneratione habetur. Primum accidit Mildeburgi Zelandorum an. 1374, de quo sermonem facit noster eruditissimus Christianus Lupus inter opuscula posthuma pag. 97. alterum autem evenit Lanciani in Aprutio an. 1273. Istud transcribam iisdem verbis Thomae Bosii, qui in lib. 14 de Ecclesiae notis cap. 7 ita scribit: *Anno 1273 quaedam mulier, quae cum sumpsisset ore Eucharistiam non deglutiit, sed servatam secum detulit ut illa uteretur ad amorem mariti conciliandum*

sibi per veneficia; quamobrem sic malis artibus educta super prunas in tegula repositam projicit, quo facto, mirabile dictu! coepit Eucharistia apertissime in carnem conversa sanguinem late emittere, ita ut prunas extinxerit, neque cohiberi potuit cruoris eruptio donec canduerunt carbones, quamvis mulier nihil non egerit injiciendo pulverem, cinerem, ceramque apponendo. Tum novo eventu attonita linteo tegulam cum carne divina, et sanguine involvens stabuli propinqui stercori infudit. Latuit res annos septem, quamvis aliquot mirabilia evenerint, quae undenam nascerentur alios quidem latebat, mulierem non ita, facti, ac sceleris consciam. Iis exactis illa tandem aperuit rem gestam Sacerdoti qui cum se eo contulisset, reperit intactam; cunctisque divulgata, ex omnibus locis innumeros ad sui spectaculum commovit, et commovet adhuc post annos tercentum, et sexdecim. Visitur enim caro, visitur sanguis vitreis ampullis inclusus ad tantae rei memoriam sempiternam, neque post tanta temporum spatia quicquam ex iis est corruptum, aut tabefactum. Laudatus Sacerdos cui venefica mulier suum facinus aperuit erat Prior coenobii Lanciani patria Offidanus, qui propterea an. 1280 tam pretiosum thesaurum Offidam transtulit. Vide Ughellum Italiae Sacrae tom. 6 col. 788, et Marcolini pag. 649.

1380 Viennae in Austria obiit Jordanus de Saxonia vir pietate, doctrina, editisque libris famosus.

1387 Sub die 11 Januarii in Regest. Gen. Christophori Patavini pag. 128 fit sermo de tunica alba, quae etiam tunc temporis a nostratibus gestabatur. Imo de eadem tunica alba loquitur Gregorius IX in sua Apost. Bulla emanata sub die 34 Martii an. 1236. Hinc patet erroneam esse opinionem eorum qui arbitrantur tunicae albae usum penes Augustinenses tempore lutheranae apostasiae invectum fuisse. Vide Bullarium Empoli pag. 126. Neminem autem puto e nostratibus ita in Ordinis historia peregrinum, et

hospitem esse, qui nesciat habitum albi coloris a majoribus nostris ad honorem Deiparae Virginis praesertim domi omni tempore superindui consuevisse.

1387 Eodem hoc anno initium habuit Congregatio Augustinensium Ilicetanorum (di Lecceto prope Senas in Tuscia) ex qua multi sanctitate viri illustres prodierunt.

1388 Romae super pontem Elium ab incognito proditore ex insidiis emissa sagitta pro Ecclesiae libertate occisus fuit noster Cardinalis Bonaventura Baduarius Patavinus. Natus est die 22 Junii 1332, et sacro Cardinalium collegio adscriptus die 28 Septemb. instante S. Catharina Senensi.

1388 Hoc item anno in capit. gener. Fori Cornelii decretum fuit ut in toto Ordine recitaretur Officium translationis S. P. Augustini, et S. M. Monicae, necnon conversionis S. Patris sub ritu duplici minori, et SS. Simpliciani, et Guilelmi semidup. Hinc patet hallucinari eos qui putant saeculo XV tantummodo haberi memorias de Augustiniana S. Guilelmi professione. Vide Marcolini pag. 534.

1393 Circa hoc tempus decessit Thomas Winterton, Anglus, qui amicus fuit Wiclephi ante apostasiam, postea vero acerrimus oppugnator. Inter celebriores Ordinis scriptores recensetur.

1394 Die 21 Augusti annos natus circiter 65 Florentiae vitam hanc cum meliori commutavit Aloysius Marsigli, Florentinus, vir suae aetatis eruditissimus, amicus Petrarchae, et ab illo atque a coaevis scriptoribus summopere commendatus. Vide Tiraboschi tom. 5 part. I edit. Venet. 1823 pag. 223, et seq.

1400 Circa hoc tempus instituitur a B. Christiano Franco de Pedemontio Congregatio Augustiniana S. Joannis de Carbonaria, cujus praecipuum coenobium Neapoli situm toti Congregationi praefatam nomenclationem dedit. Insti-

tutionis opus deinde complevit B. Matthaeus de Intorrocrea. Vide Lanteri vol. I pag. 269.

1408 Ordo Canonicorum Regularium, qui vulgo Scopetini nuncupantur, in agro Senensi institutus fuit a nostratibus Stephano Cioni, Andrea Regulino, Bartolomaeo Salvi, Christophoro Landucci, et Philippo de Agazzariis. Vide Lanteri vol. I pag. 236, et Breviarium Berti saecul. XV cap. VI in adnotationibus. Nomen acceperunt ab Ecclesia S. Donati de Scopeto, ubi primam sedem sibi delegerunt.

1419 Fundatur a B. Augustino Favaroni Congregatio Eremitana de Perusia. Obiit laudatus Favaroni in bona senectute Prati in Hetruria an. 1443.

1422 Die 15 Octob. e coenobio de Torres Vedras in Lusitania ad supernam patriam transivit B. Gundisalvus de Lagos, qui morum puritate, verbi Dei praedicandi zelo, ac pueros rudesque homines erudiendi studio ac labore maxime enituit. Primam lucem aspexit in praefata urbe de Lagos an. 1360. Illius cultum immemorabilem confirmavit Pius VI die 23 Maji 1777. Festum ejus apud Ordinem celebratur die 21 Octobris.

1428 Patavii ad Montem Ortonum quaedam B. Virginis imago cuidam militi Petro Falzonio peste infecto, qui in balneis sanitatem quaerebat, locuta est, eumque a morbo liberavit. Hujusmodi prodigium, et alia multa quae per eamdem Deiparae effigiem patrata sunt, occasionem dederunt fundationi Augustinianae Congregationis de Monte Ortono, cujus primum coenobium in eodem loco extructum fuit an. 1436. Promovit eamdem Congregationem celeberrimus Italiae pacificator noster Simonetus de Camerino, qui ex hac vita migravit an. 1478, aetatis suae 86. Vide Scardeonium de antiquit. urbis Patavinae lib. 2, classe 3, pag. 196.

1429 Obiit Venetiis Paulus Nicoletti Utinensis, etiam Venetus nuncupatus, celebris scriptor. Habebat annos 60. Item eodem anno decessit Andreas Biglia Patritius Mediolanensis, famosus historicus, annos natus 60.

1430 B. Joannes de Alarcon, qui decessit an. 1438 in provincia Castellae instituit Congregationem de Observantia Hispaniae in coenobio Nueblae prope Vallisoletum. Haec Congregatio cessavit an. 1505.

1439 Bononiae in Ecclesia S. Jacobi instituitur Societas Cincturatorum, quae anno 1575 die 15 Junii a Gregorio XIII unita fuit sodalitio SS. Matris Consolationis in eadem urbe instituto an. 1495.

1440 Circa hoc tempus instituta fuit Congregatio de Lombardia, quae opera B. Gregorii de Cremona in coenobio Cremensi exordium sumpsit. Ejusdem fundationis fautores fuerunt insignes sanctitate viri Joannes Rochus de Portiis, atque Joannes de Novaria. Officium autem proprium cum Missa de B. Virgine Consolationis Matre pro toto Ordine impetravit Ven. Josephus Bartholomaeus Menocchio die 6 Augusti 1805.

1440 Circa hoc tempus Ven. Andreas Proles Saxo instituit Congregationem de Saxonia, ex qua prodivit radix peccatrix Martinus Lutherus. Post obitum fundatoris, qui contigit an. 1503 haec Congregatio a Generalis jurisdictione se exemit. Martinus Lutherus, ita Berti in suo Breviario historico ad saeculum XVI cap. 3, natus Islebii an. 1483, ingressus monasterium Erfordiense Augustinianae Congregationis Germaniae anno juxta Floremundum 1504, juxta Calvisium vero 1506, coepit contra Indulgentias primum bacchari anno 1517, in alia errorum portenta exinde prolapsus, maxime circa justificationem, et efficacem virtutem Sacramentorum. Ad generale Concilium anno 1518 audacter provocavit, et anno proximo celebrem habuit Lipsiae cum Eckio disputationem de primatu Romanae Ecclesiae. Arti-

culi ejus XLI a Leone X anno 1520 fuerunt damnati. Addidit postmodum alios nequiores, affirmans post Adae lapsum in hominibus extinctum esse liberum voluntatis arbitrium, impossibilia esse praecepta Dei, peccata dum remittuntur non deleri, sed dumtaxat non imputari, omnia justorum opera esse inquinamenta, et peccata, timorem gehennae reddere hominem magis hypocritam et peccatorem, Romanum Pontificem esse Antichristum, in Eucharistia permanere cum Domini corpore substantiam panis, Purgatorium commentum esse Papisticum, fere omnibus Wicleffi, et Hussitarum instauratis deliramentis Quibus ab Ecclesia, et a Catholicis Universitatibus Theologorum semel iterumque proscriptis adeo pervicacior evasit, ut religionis pudorisque jugo prorsus excusso, anno 1525 uxorem duxerit Christo ereptam, idest monialem Catharinam de Borè nuncupatam, apud Erasmum suosque sectarios contemptum, et derisionem maximam sibi comparans. Pluribus demum accitis discipulis, qui lutheranae sectae variam formam, ac diversum nomen dedere, scelestissimam efflavit animam Islebii anno 1546 die 18 Februarii, ejusque cadaver translatum fuit Vittembergam superioris Saxoniae metropolim. Hucusque clarissimus Berti. Hisce autem ad nostri Eremitani Ordinis honorem addere debemus inter egregios commilitones, qui bellum Domini adversus praefatum filium Belial alacriter susceperunt lingua et calamo illius execranda errorum monstra oppugnantes non ultimum locum tenuisse Eremitas Augustinenses, e quorum numero contra apostatae deliramenta lingua et calamo naviter dimicarunt praesertim Hieronymus Seripandus, et Ambrosius Flandinus Neapolitani, Augustinus Cappelmair, Joannes Hofmeysterus, atque Bartholomaeus Arnoldi Germani, Conradus Tregarius Helvetius, Hieronymus Negri de Fossano in Pedemontio, Andreas Baurius Ferrariensis, Anselmus Bocturnius Vicentinus, Peregrinus Nasellus Patavinus, Petrus Sanutus

Venetus, aliique, qui lutheranam hydram ne longius serperet omnimodis conterere satagerunt.

1450 Die 25 Januarii Amandulae in Piceno pretiosam sanctorum mortem oppetiit B. Antonius Smeraldi de Amandula nuncupatus, qui claruit admirabili poenitentia, eximia in miseros caritate, ac miraculorum fama. Ortum habuit Comunantiae prope Amandulam die 17 Januarii 1355. Illius corpus intactum in nostra Amandulae ecclesia magna veneratione colitur, ejusque nomen ad obtinendam pluviam efficaciter invocatur. Officium in Ordinis Breviario habetur ad diem 6 Feb. ex concessione Clementis XIII promulgata sub die 29 Martii 1760.

1456 Die 22 Maji Cassiae in Umbria spiritum Deo reddidit B. Rita vidua, quae post saeculi nuptias aeternum sponsum Christum unice dilexit, et vitae sanctitate ac miraculorum virtute maxime claruit. Orta est Roccae Porrenae prope Cassiam ex piis honestisque parentibus Antonio Mancini, et Amata Ferri an. 1380. Nupsit an. 1398, viduatur 1414, divinitus in monasterium introducitur 1416, spina in fronte vulneratur 1441, Romam causa lucrandi jubilaei itura sanatur 1450. Vixit hanc mortalem vitam annis 76. B. Ritae corpus apud nostrates Cassianas sanctimoniales summa veneratione colitur. Officium autem et Missam ad illius honorem Urbanus VIII sub die 2 Octob. 1627 universo Ordini concessit. Festum celebratur die 22 Maji. Scripserunt vitam ejus inter alios nostrates etiam eximius scriptor Carolus Rabbi, et P. Mag. Laurentius Tardy.

1458 Die 14 Febr. Spoleti in Umbria sancto fine quievit B. Christina Visconti, Mediolanensis, quae tertii Ordinis S. P. Augustini habitum suscepit, atque eremiticam vitam prius ducens, atque postmodum aegrotis, et pauperibus ministrans sanctitatis famam post se reliquit. Orta est an. 1436. Ita Christi Domini cruciatuum meditationi ad-

dicta fuit, ut quadam die in mentis aestu pedem sibi clavo transfixerit. Cultum illi ab immemorabili tempore praestitum die 19 Septemb. 1834 Gregorius XVI confirmavit. Officium in Ord. Breviario habetur sub die 14 Febr.

1458 Obdormivit in Domino die 2 Aprilis B. Helena de Utino vidua, quae in hac Fori Julii urbe orta est anno 1396 e nobilissima Valentinorum familia. Tertium S. P. Augustini Ordinem post viri (equitis Antonii Cavalcanti de Florentia) obitum amplexa claruit praesertim humilitate, patientia, Christi dolorum imitatione, atque jugis mortificationis spiritu. Ad illius honorem Officium Ordini conceditur die 22 Aprilis an. 1849.

1463 Die 21 Augusti Tibure pie obiit Cardinalis Alexander Oliva. Ortus est an. 1406, et in sacrum Cardinalium collegium adscitus die 5 Martii 1460.

1467 Die 25 Aprilis Genestani in Praenestina dioecesi apparuit prodigiosa imago B. Mariae Virginis, quae a nomine Ecclesiae parochialis, in qua sedem suam fixit nuncupata est Imago Mariae Virginis de Bono Consilio. Hujus apparitionis historia paucis verbis in sequentibus inscriptionibus describitur, quae a nostrate P. Mag. Daniele Marcolini in saepe jam laudato manuscripto pag. 555 afferuntur: *D. O. M. Perangustum olim, et quam ruditer erectum templum hoc vetustate corrosum B. Petruccia virgo Janazzanensis inter domesticas Ordinis S. Augustini moniales sanctitate celebris in honorem Deiparae, quam in dies adventuram praesagiebat, novis incoeptis aere proprio parietibus, collectisque in supplementum eleemosynis ex munificentia civium ac populorum undique religionis causa confluentium ad Virginis hujus sanctae imaginis apparitionem hora Vesperi XXV Aprilis MCDLXVII in augustam qua refulsit id temporis majestatem restituit.* Alia autem inscriptio, sub imaginibus aere incisis, ac nobilissimae Columnensium familiae nuncupatis impressa ita sonat:

Invadendo il Trace l' Albania tutta e venerandosi nella città di Scutari questa sacra Immagine, rivelò a suoi devoti di casa Giorgi, e de Sclavis, Schiavoni, che dovendosi profanare quel sagro tempio si sarebbe altrove portata: onde allestitisi, furono scortati in tempo di notte con colonne di fuoco, e di giorno con nube passando il mare Adriatico a piedi asciutti. Giunti in Roma li sparì sì bella guida, che poco dopo trovarono in Genazzano antica Signoria di casa Colonna: apparse li 25 Aprile, hora di Vespero 1467 nella nuova chiesa, che profetizzando fabbricava la B. Petruccia, dicendo che la chiesa sarebbesi perfezionata quando la Madonna veniva, sonando da se tutte le campane, e sanandosi a tale vista stroppi, ciechi, ed altri malori. De praefata B. Petruccia in Ordinis defensorio edito Romae an. 1431 prope finem ubi agit de mulieribus Augustinensibus sanctitate illustribus ita scribit noster Ambrosius Coranus contemporaneus: *Octava fuit B. Petrutia de Genazano: quae venditis omnibus in domo sua ecclesiam nostri conventus fabricavit: adimplens consilium Christi: si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quae habes, da pauperibus, et sequere me; et cum ejus facultates ad ecclesiam complendam non sufficerent venit in derisum toti populo. Ipsa autem dicebat: Nolite errare filii mei: quia antequam moriar, cum tunc decrepita esset, Beata Virgo, et S. Augustinus complebunt ecclesiam istam. Sed mirabilis fuit prophetiae adimpletio quum a prolatis verbis vix transivit annus: quaedam imago Beatae Virginis in pariete dictae ecclesiae miraculose apparuit. Ad quam visendam tota Italia sic commota est, ut processionaliter illuc oppida et civitates confluerent; cum signis: miraculis: et aeleemosynis inexplicabilibus. Et ita adhuc ea vivente non solum ecclesia, sed pulcherrimus conventus factus fuit: et moriens in capella dictae imaginis tempore nostri provincialatus sepelitur.* Praefatus

autem Coranus fuit Provincialis ab an. 1466 usque ad 1470, ex quo patet circa idem tempus B. Petrucciam ex hac vita migrasse. Idem Marcolini aliud auctoris contemporanei ad rem faciens testimonium affert pag. 563 ubi ex vita Pauli II exarata a DD. Michaele Cannesio Viterbiensi, Episcopo Castri, haec verba transcribit, quae habentur prope finem ejusdem vitae: Sub idem tempus apud oppidum Jenazani in Praenestina Dioecesi situm ex imagine Beatae Mariae Virginis complura, et admiranda miracula Deus effecit ad cujus quidem rei examinationem Gaugerium Vapicensis Ecclesiae Praesulem, ac Nicolaum Farensis Ecclesiae Antistitem destinavit. Consule librum Card. Quirini sub titulo: Pauli II gesta vindicata etc. edit. Romae 1740. Composuit laudatus noster Fr. Daniel Marcolini Officium ad honorem praefatae imaginis B. Mariae Virginis, quod a S. Sede approbatum fuit pro nostratibus Genestanensis coenobii die 18 Decemb. 1779, et 17 Feb. 1781 ad totum Ordinem extensum. Historiam apparitionis S. Mariae de Bono Consilio typis evulgavit noster Angelus Maria de Orgio Fulginii 1743, et D. Raphael Buonanno Presbyter Oratorii Neapoli 1874.

1470 Ven. Fr. Joannes Baptista Poggi Patritius Genuensis instituit Congregationem S. Mariae Consolationis de Genua. Obiit in mari prope Plumbinum dum Romam versus iter faceret die 31 Maji an. 1497.

1478 Die 12 Martii Patavii annos natus 86 sancto fine quievit Fr. Simonetus de Camerino insignis concionator, qui omnium admirationem in se convertit ob pacem inter Rempublicam Venetam, et Franciscum Sfortiam Mediolanensium Ducem an. 1454 praeter communem expectationem conciliatam. Rem narrat paucis verbis Josephus Ripamontius lib. 14 hist. eccl. Mediol. pag. 832: *Quod neque Pontifex Maximus auctoritate sua, neque Principum aliorum legationes in id missae assequi potuerant,*

unius Religiosi dexteritate perfectum est, attonitis, et erubescentibus, pudoreque confusis, ut credere licet, quicunque trepidantem in aula, cursitantemque monachum elato supercilio antea despiciebant, sive cavillabantur. Et Baptista Fulgosus contemporaneus lib. 2 de Majestate cap. 5, scilicet in dictis et factis memorabilibus scripsit: *Cum multi christiani Principes discordias componere frustra tentassent, Symonettus Camertinas heremita suscepto negotio, quod propter vitae bonitatem nullo pretio putabatur adduci posse, ut magis ad alteram inclinaret partem, ad pacem ambos redegit, quae ei postea cognomentum peperit.* Nam deinceps nuncupatus fuit Italiae pacificator. Vide Gandolphum pag. 315.

Eodem anno e monasterio S. Mariae sacri Montis supra Varisium ad coelestem Sponsum migravit B. Catharina virgo de Palantia ideo nuncupata quia in eodem Insubriae oppido circa annum 1437 ortum habuit. Praefatum Ordinis nostri monasterium ipsa fundavit una cum B. Juliana a Busto Arsitio, ejusque etiam regimen postea suscepit. Post obitum miraculis claruit. Cultum religiosum ab immemorabili tempore illi praestitum Clemens XIV confirmavit. Festum ejus apud Ordinem celebratur die 6 Aprilis.

1479 Die 17 Decemb. Avilianae in Pedemontio ad Superos evolavit B. Cherubinus Testa generis nobilitate, sed magis vitae sanctimonia, atque angelicae puritatis gloria illustris, qui juventute nondum exacta annos natus 29 raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus. Ortum habuit in praefato oppido an. 1451. Illius cultus immemorabilis a Pio IX die 21 Septemb. 1865 confirmatus fuit. In Ordinis Kalendario ejus Officium ponitur sub die 20 Feb.

Eodem anno, die 11 Junii Salmanticae spiritum Deo reddidit S. Joannes a S. Facundo, fidei zelo, vitae sanctimonia, et miraculis clarus. Natus est Sahaguni Hispaniae

oppido in Regno Legionis sito an. 1429. In beatorum album refertur a Clemente VIII an. 1601, et Sanctorum fastis adscribitur ab Alexandro VIII die 16 Octob. an. 1690, ejusque Officium in Breviarium Romanum ad diem 12 Junii inserendum decrevit Benedictus XIII Ordinis Praedicatorum.

Item eodem anno die 11 Aprilis ad supernam patriam transivit B. Andreas de Monteregali admirabili patientia, vitae asperitate, atque evangelicae praedicationis laude clarissimus. Ortus est Mausonii oppido Rheatinae dioecesis an. 1397, vixitque annos 83. Cultum ab immemorabili tempore illi praestitum Clemens XIII die 18 Feb. 1764 confirmavit, ejusque Officium apud Ordinem die 11 Aprilis recitari posse indulsit die 1 Decemb. ejusdem anni.

1480 Die 24 Julii Aquilae in Aprutio spiritum Deo reddidit B. Antonius della Torre, nobilis Mediolanensis, qui post peragratas religionis causa varias orbis regiones Aquilam ad sedandas civium discordias missus arduum opus praesertim verbi Dei potestate egregie complevit. In lucem editus fuit Mediolani an. 1410. Ejus cultum immemorabilem approbavit Clemens XIII die 11 Julii 1759. Officium ponitur in Ordinis Breviario sub die 24 Julii.

1485 Die 25 Maji obiit Romae Prior Generalis Fr. Ambrosius Coranus, alias Coriolanus, celebris scriptor. Vide partis primae pag. 290.

1487 Fr. Felix de Curtiano, Apulus, vir pietate ac litteris clarus instituit nostratem Congregationem Dulcetanam, sic nuncupatam a Dulceto Apuliae oppido.

1496 Florentiae obiit senex Guilelmus Becchi Ep. Fesulanus, celebris scriptor, et insignis theologus. Vide Tiraboschi tom. VI part. 2 pag. 392.

Eodem anno in coenobio S. Nicolai Vallis Manentis prope Pisaurum in Piceno obdormivit in Domino B. Petrus Jacobus vulgo a Pisauro nuncupatus, qui humilitate, pie-

tate, ac doctrina clarus solitudini, ac proximorum bono impense studuit. Primam lucem aspexit in praefata Pisaurensi urbe an. 1447. Immemorabilem illius cultum confirmavit Pius IX die 23 Septemb. 1848. Officium in Ordinis Breviario habetur sub die 23 Junii.

1497 Die 13 Januarii Mediolani in monasterio S. Marthae pie obiit B. Veronica de Binasco, (Insubriae oppido) quae Deiparae, aliorumque Coelitum crebris apparitionibus dignata fuit. In hac lacrymarum valle mansit annis 52. Claruit etiam miraculorum dono, spiritu prophetiae, atque cordium scrutatione. Franciscus I Galliarum Rex a Leone X impetravit ut S. Marthae moniales illam religioso cultu prosequi possent. Officium ad ejus honorem eisdem monialibus die 30 Maji an. 1624 Urbanus VIII indulsit, atque ad universum Ordinem die 6 Augusti 1672 Clemens X extendit. B. Veronicae nomen legitur in martyrologio romano sub die 13 Januarii.

1497 Mense Octobri Romae in coenobio S. P. Augustini obiit Fr. Aurelius Brandolini, Lippus appellatus, qui a scriptoribus illius temporis ceu eloquentiae atque eruditionis portentum ad sydera usque effertur. De illo haec scripsit Aldus Manutius ad nostratem Angelum Rocca: *Magnus sane vir fuit Lippus, magnisque viris acceptus, summis, mediis, infimis apprime carus, praecipue Pontificibus, Imperatoribus, Regibus, at quibus Regibus? iis nempe quorum memoria inter Reges omnes regia erit semper, litteratis hominibus, iisque inter summos summis Hermolao Barbaro, Pogio, et universis sui aevi.* Vide Gandolphum pag. 85.

1498 Mense Decembri Suessae in Campania decessit Fr. Marianus de Genestano, qui fuit vir doctissimus, atque concionator suae aetatis celeberrimus. Dicitur a scriptoribus acerrimus Savonarolae antagonista. Ortum habuit Genestani in Praenestina dioecesi an. 1450. Ordinis universi gubernaculum accepit an. 1496.

1500 Circa hoc tempus per Fr. Franciscum de Zampano Calabriae oppido ibidem instituta fuit sic a praefato loco dicta Congregatio Zampanorum. Obiit Franciscus cum multa sanctitatis opinione Suberati in dioecesi Squillacensi die 1 Novemb. 1519. Statim post obitum a Christifidelibus publico ecclesiastico cultu honorari coepit, et domus, in qua natus erat, annuente Archiepiscopo Consentino ob illius venerationem in Ecclesiam conversa fuit. Vide Marcolini pag. 592.

1501 Ad immaculati Agni nuptias migravit e monasterio Sanctae Mariae sacri Montis supra Varisium B. Juliana a Busto Arsitio Insubriae oppido, quae virginitatis honore, invicta animi fortitudine, admirabili patientia, et assidua rerum coelestium contemplatione insignis fuit. In lucem edita fuit an. 1427. Post obitum statim publicum religiosum cultum obtinuit, quem Clemens XIV Apostolica auctoritate confirmavit. Officium in Ordinis Breviario habetur sub die 14 Augusti.

1509 Circa hunc annum Sanctimoniales monasterii S. Thomae in urbe Genuensi Eremitanum Institutum receperunt, cum antea regulam S. Benedicti sequerentur, seu potius nostrates Moniales illud monasterium a Benedictinis relictum recuperarunt, quod antea ab ipsis desertum Benedictinae occupaverant. Hinc exorta est controversia circa B. Limbaniae religiosum Institutum, cum neque inter nostrates scriptores desint, qui eamdem Beatam S. Benedicti Ordini accenseant. Verum extat in Reg. 3 P. Rmi Augustini Gioja ad an. 1748 pag. 211 et seq. P. Mag. Jo. Laurentii Berti epistola qua clarissimus auctor ea quae est omnibus nota, et illi propria latini sermonis elegantia vario argumentorum genere demonstrare nititur B. Limbaniam non quidem ad Benedictinum, sed ad Augustinianum Ordinem pertinere. Hujusmodi argumenta breviter ad sequentia reducuntur. 1 Cum praefatum S. Thomae asccterium

antiquissimum sit quippe quod jam a saeculo octavo juxta scriptores Ligures existebat nullam tamen Benedictini historici de illo mentionem fecerunt. 2 Idem monasterium usque ad an. circiter 1300 Augustinenses Sorores incoluerunt quae cum eo tempore ad parvum numerum redactae essent, atque inopia laborarent, etsi non omnes, aliquae tamen illinc recesserunt, atque ad monasterium Augustinense, quod SS. Consolatae appellabatur, sese receperunt, earumque locum apud S. Thomam Benedictinae occuparunt. 3 B. Limbania juxta illius vitae scriptorem nata est in Cypro insula circa an 1200, juxta alios autem circa an. 1100; ac proinde Genuam appulit, et coenobium S. Thomae ingreditur eo tempore, quo illic Augustinenses Sanctimoniales degebant. 4 Ipsae Benedictinae Sorores ducentorum circiter annorum spatio, quo in praefato S. Thomae monasterio commoratae sunt, in variis codicibus earumdem cura de B. Limbaniae vita ac miraculis conscriptis nullibi tamen illam ejusdem fuisse Instituti asseruerunt, quamvis ejus nomen saepe numero ibidem repetatur. 5 Accuratissimi quique Ordinis S. Benedicti historici qui lynceis oculis bibliothecas omnes lustrarunt, diplomata, bullas, privilegia, ac pene exesas chartas exusserunt ad sui praestantissimi Ordinis antiquitates reperiendas, quique si quis unquam illorum Instituto virum aliquem celebrem, aut sanctam mulierem denegare ausus fuerit, locupletissimas statim vindicias ediderunt, tamen de B. Limbania nullibi mentionem fecerunt; neque in ejusdem Ordinis martyrologiis ac breviariis illius nomen invenitur. 6 Anno 1609 Paulus V Monialibus Augustinensibus S. Thomae indulsit ut B. Limbaniae Officium proprium recitarent; ast Benedictinae Sorores Genuae tunc degentes nullas omnino illa tam opportuna occasione preces S. Sedi pro ejusdem Officii recitatione obtinenda porrexerunt, quod quidem argumentum quanti sit ponderis probe sciet, qui quanta sit in

hujusmodi rebus sacrarum virginum pietas, et aemulatio rite contemplatus fuerit. 7 Imo idem Officium anno 1676 universo Augustiniano Ordini concessum fuit; at Benedictini tamen Patres neque contradixerunt, neque obicem posuerunt, neque pro ipsorum Ordine Officium postularunt. 8 B. Limbania pluribus vicibus quibusdam piis personis Augustiniano habitu induta apparuit; quinimmo in antiquissimis etiam imaginibus eadem Augustinensi veste ornata conspicitur. 9 B. Limbaniam Eremitani Ordinis habitum gestasse et Augustiniano Instituto se addixisse aperte testatur scriptor illius vitae, quae primum Genuae in lucem prodiit an. 1612, ac rursus an. 1683, quam vitam idem auctor in proemio pag. 6 advertit ex vetustissimo manuscripto, quod apud moniales S. Thomae asservatur exscriptam esse. Nec tantum Limbaniam fuisse Augustinianam existimat, verum etiam hoc indubitatum, atque ex majorum traditione certissimum, exploratissimumque supponit. 10 Sacra Rituum Congregatio sub die 11 Januarii 1676 *extendit ad omnes et singulos utriusque sexus Ordinis Eremit. S. P. Augustini Officium (respective Missam) de B. Limbania virgine ejusdem Ordinis S. Augustini.* 11 Tandem in Ordinis martyrologio octavo idus Septembris haec leguntur — *Genuae in Monasterio S. Thomae B. Limbaniae virginis Ordinis nostri, admirabili poenitentia et altissima contemplatione insignis, cujus anima evolavit ad coelum decimo nono Kalendas Septembris.* Haec autem argumenta siquid valent ad probandam B. Limbaniae Augustinianam professionem mea non sunt, sed ego illa ex laudata nostratis Berti epistola hic transcripsi; mea autem sententia haec est: *Allata argumenta peremptoria non esse, ac proinde Augustinianam B. Limbaniae professionem extra omnem dubitationem minime poni, potiorem tamen esse rationem Ordinis possidentis, atque eidem B. Limbaniae supplicandum ut pro utroque*

Ordine Deum exoret, pro cujus amore fossam sibi sub ecclesia elegerat, in qua dies noctesque non cessabat a colloquiis divinis, et contemplatione, atque jejunio corpus affligens, et pectine ferreo pectus lacerans carnem spiritui subjiciebat gemebunda Deum rogans ut ex illo mortali corpore ipsam liberaret, uti est in 2 nocturni responsoriis.

1510 A quibusdam nostratibus instituta fuit Congregatio Dalmatiae in coenobio Lesinensi.

Sub eodem anno in Regest. Ordinis pag. 59 Rm̃us P. Gen. Aegidius Viterbiensis haec scribit: *Cum praecipue legatur in Religionis historia ducentis ab hinc circiter annis Religionem et pauperrimam, et quae nihil nisi antra et paullo ante coepta in urbibus tuguriola possideret*. Hinc dignosci potest aetas, qua nostrates relictis solitudinibus in civitatibus coenobia aedificare coeperunt. Hic autem animadvertere operae pretium est quod non sola populi christiani utilitas, verum etiam propriae incolumitati prospiciendi necessitas illos antiquos Patres sese intra urbes recipere coegit; nam crescente jam tunc magis magisque in dies numero luporum, in desertis locis tuto vitam degere non amplius eis licebat. Saltem tunc intra urbes coenobitae tutum asylum reperiebant; nunc autem *propter nimiam libertatis abundantiam* et solitudines, et urbes illis omnino interdicuntur. O tempora, o mores, o mendacissimam Liberalium libertatem!

1511 Die 30 Novemb. annos natus circiter 80 ex hac vita migravit Ambrosius Calepinus Bergomensis de Comitibus Vallis Calepiae cujus laus est in omnibus dictionariis, quae ab illo auctore etiam nomen acceperunt.

1515 In regest. Generalis Aegidii Viterbiensis ad mensem Januarium sub die 12 legitur: *Fr. Petro Rubeo Aethiopi licentiam damus visitandi S. Jacobum commen-*

dantes eum nostris Patribus. Eamdem licentiam sub die 20 ejusdem mensis concedit Fr. Andreae, et Fr. Thomae item Aethiopibus. Hisce adhuc nunc diebus sunt in Aethiopia coenobitae ejusdem nominis, quamvis a Romana Communione sejuncti. Orandum est pro illis ut eos dignetur Dominus ad Catholicae Fidei unitatem aliquando revocare ut unum fiat ovile et unus pastor. Vide Enciclopediam Popularem edit. Taurini 1844 tom. I pag. 47.

1520 Ad meliorem vitam transivit Jacobus Philippus Forestus nobilis Bergomensis, qui fuit celebris historicus. Habebat aetatis suae annos 86, et religiosae professionis 69.

1520 In Regest. Gen. Gabrielis Veneti sub die 30 Decemb. legitur quamdam B. Mariae Virginis imaginem in nostra Pisaurensi Ecclesia lacrymas ab oculis effudisse, cujus rei Leo X juridicam inquisitionem per DD. Gubernatorem fieri jussit.

1522 Circa hoc tempus Tulphis in patrimonio S. Petri apparuit super arborem ejusdem nominis prodigiosa imago sic nuncupata S. Mariae de Subere (Sughera) quo in loco nostrates coenobium Ordinis eodem tempore extruxerunt. Vide Marcolini pag. 594. Itaque in Romana Ord. nostri provincia quinque possidemus insignia Deiparae sanctuaria, quae nimirum sunt: I Hoc S. Mariae de Subere, 2 Genestanense S. Mariae de Bono Consilio, 3 Romanum S. Mariae de Partu, cujus historiam an. 1853 noster P. Mag. Vincentius Cretoni conscripsit, 4 Romanum S. Mariae de Populo, quod felicioribus diebus SS. Dñi Papae die 8 Septemb. quotannis praesentia honoratur, 5 Viterbiense S. Mariae Liberatricis, cujus notitias noster P. Joannes Pucci collegit, evulgavitque an. 1867.

1530 Circa hoc tempus a nostrate Bernardino de Rogliano in Calabria citeriori instituitur nostri Ordinis Congregatio sic nuncupata Coloritorum.

1532 Die 12 Novembris obiit Aegidius Canisius Viterbiensis, qui vir fuit eloquentissimus, et graecarum litterarum scientissimus. Primam lucem aspexit Viterbii an. 1470, Eremitanum Ordinem amplectitur 1488, eligitur Ord. Gen. 1507, creatur Cardinalis die 1 Julii 1517, et Episcopus Viterbiensis 2 Decemb. 1523.

1533 Augustinenses Hispani Franciscus a Cruce, Augustinus de Corumna, Hieronymus Ximenes, Joannes de S. Romano, Joannes de Oseguera, Alphonsus de Borgia, Georgius de Avila, aliique ejusdem Instituti insignes pietate viri in Mexicum navigarunt, viamque ostenderunt aliis quamplurimis nostratibus, qui in illa regione cum catholicam Religionem, tum Augustinianum Nomen propagare coeperunt. Vide historiam missionum Henrion edit. Neapoli 1854 partis primae pag. 402.

1538 Die 28 Maji Neapoli celebratur Capitulum generale, in quo Ordini praeficitur Hieronymus Seripandus, et inter alia decreta *ad pestis Lutheranae cautionem diffinitur, statuitur, et inviolabili lege sancitur . . . decernendo ut non solum qui Lutherana haeresi comperti fuerint laborare, sed et qui illius suspicione aliqua infecti laboraverint, vel scandalo populo fuerint, sive contra se concitaverint Magistratus, Romam non amplius ad se purgandum veniant, sed carceri mancipentur, praedicandi item officio et omnibus gradibus, atque officiis perpetuo sint privati, et si res postulet, exuti habitu in triremes coniiciantur*. Vide in Ordinis archivio librum inscriptum *Res Ordinis variae* folio 182.

1550 In nostra Genestani ecclesia S. Mariae de Bono Consilio accidit sequens sacrilegum facinus simulque ingens prodigium, quod noster Angelus Rocca tom. I operum omnium agens de ludo alearum pag. 474 ita describit: *In illa Italiae regione fertilissima, quae Campania vocitatur, dum regio ipsa bello vexaretur tempore Pauli*

tertii, miles quidam chartis lusoriis in platea Genestani, vel Genazzani operam dabat. Hic denique ob totam deperditam pecuniam, quam habebat, horridas blasphemias in Deum, et Dei Matrem eructabat, et ita blasphemando Ecclesiam Deiparae Mariae semper Virgini dicatam, et a Fratribus Ordinis Eremitarum S. P. Augustini cultam ingressus Christum Dominum ad altare cruci affixum ense suo in fronte, in utero, et in cruribus vulneravit, non sine magna sanguinis effusione. Blasphemator autem ille, ac sacrae imaginis percussor statim ab aliis militibus fuit interfectus, ejusque corpus in frusta redactum: ense statim valde, et miraculose quidem recurvato, sed ita ut non sine magna difficultate, nec sine magno temporis intervallo ab artifice eum in modum fieri posset ensis ille, qui ad tantae impietatis aleatoris, et ad tanti miraculi memoriam ad hanc usque diem prope sacram imaginem asservatur. Hic autem animadvertere operae pretium est nostratem doctissimum virum DD. Angelum Rocca fuisse Ordinis secretarium an. 1581, ac proinde habendum esse ceu contemporaneum scriptorem, qui potuit etiam ab oculatis testibus Genestani opportunas notitias postulare. Vide Marcolini pag. 600, et seq.

Huic consimile est aliud horrendum scelus quod narrat Caesar Franciotti in libro de sacris imaginibus Lucae ibidem edito an. 1613 pag. 544, et 494 patratum a quodam blasphemo aleatore in quamdam Deiparae imaginem quae tunc colebatur in parva praefatae urbis ecclesia (S. Salvatoris in muro) in eo loco sita, ubi an. 1324 Eremitae Augustinenses coenobium S. Columbani deserentes sibi novas aedes extruxerunt e quibus hisce nunc *tantopere celebratae libertatis* temporibus egredi coacti sunt. Itaque impius aleator cum ludens omnia, atque ipsum quoque indusium perdidisset, furore excandescens lapidem in Deiparae imaginem blasphemans impegit, cruentumque in ea vulnus

aperuit, unde statim vivus sanguis emanavit. Non defuit tamen cita Omnipotentis ultio; nam terra dehiscens sacrilegum percussorem absorbuit. Lucensium pia civitas tam insignem Deiparae ex tunc de Saxo nuncupatam imaginem praefato anno 1324 Augustinensium cultui atque custodiae commisit, qui numquam usque ad praesentes hos dies tam sacrum officium praetermiserunt. Verum siquis in praesentiarum (1875) Lucam petens templum S. Augustini ingredi, atque in sacello Dominorum Boccella Deiparam de Saxo venerari velit, januas clausas inveniet, quia ubique locorum ii qui *liberales* vocantur, cum in Deum non credant, ecclesias claudere solent.

1543 Die 18 Januarii Aquilae in monasterio S. Luciae hanc mortalem vitam reliquit ut ad aeternam transiret B. Christina Ceccarelli vulgo de Aquila nuncupata. Nata est Lucoli prope eamdem Aquilanam urbem circa annum 1480, duplici Christi Domini apparitione invitata monasterium ingreditur an. 1505 terrenis nuptiis renuntians, vixitque mira cum pietate, insigni modestia, atque incredibili fluxarum rerum contemptu. Ejus cultum immemorabilem Gregorius XVI an. 1841 die 15 Januarii confirmavit. Officium in recentioribus Breviariis habetur sub die 12 Feb.

1544 In Regest. Hieronymi Seripandi sub die 18 Octobris legitur quondam in Capit. gen. Ariminensi — *Patres quingentorum monasteriorum Monialium curam rejecisse.* Vide Marcolini pag. 604.

1550 Nostrates Andreas de Salazar, et Andreas de Ortega cum selecta sodalium manu in Peruviam profecti sunt, ibique deinceps Eremitanus Ordo multimodis profecit. Inter caeteros nostrates egregios viros apostolicos tunc illic maxime floruerunt Antonius de Roa, et Didacus Ortiz.

1553. Die 8 Septembris Valentiae ad coelestem gloriam a Domino vocatur D. Thomas a Villanova, qui propter insignem et flagrantem erga pauperes charitatem pater

pauperum merito fuit appellatus. Ortum habuit in Castro Fontisplani an. 1488, Salmanticae habitum induit 1517, Sacerdotio initiatur 1520, eligitur Provincialis 1527, et renuntiatur Archiepiscopus 1544. In Beatorum album refertur a Paulo V die 7 Octob. an. 1618, et Sanctorum coetui solemni pompa adscribur ab Alexandro VII die 1 Novemb. 1658.

1555 Christophorus Patavinus nostro Eremitano Ordini univit Congregationem Eremitarum S. Pauli Primi Eremitae, qui sex vel septem eremitoria in Italia totidemque in Hispania habebant sub Vicario generali, qui tunc erat Petrus Vargas. Eremitae autem ejusdem Congregationis in Gallia degentes aggregati sunt an. 1620. Vide Ord. regest. ad an. 1555 pag. 101, et 153, ad an. 1620 pag. 70, et Lucium Ferraris tom. 6 edit. Paris. col. 1230.

1555 Augustinenses Hispani sub duce Andrea de Urdaneta primi omnium in Philippinis insulis Evangelium Christi praedicare incipiunt. Floret adhuc hisce nunc diebus in illo arcipelago Eremitanus Ordo.

1563 Die 13 Martii obiit Tridenti Hieronymus Seripandus. Ortum habuit Trojae in Apulia 6 Maji 1493, an. 1506 ingreditur Ordinem Praedicatorum, sed a germano fratre inde per vim abductus anno insequenti Eremitanum Ordinem ingreditur. Fit Ordinis Generalis an. 1538, Archiepiscopus Salerni 1554, et Cardinalis atque Tridentini Concilii a latere Legatus 1561.

1568 Die 15 Martii Panormi in coenobio S. Mariae de Succursu aetatis suae an. 39 ex hac vita migravit Onuphrius Panvinius Veronensis, celeberrimus historicus, cui hisce nunc diebus illa civitas marmoream statuam erexit. Causa illius obitus putatur fuisse quaedam reprehensio accepta a S. Pio V eo quod extra claustrum moraretur. Viris enim sanctis merito magis placet regularis disciplina quam singularis doctrina. Vide chronicon universale in

additione ad supplementum per Franciscum Sansovinum part. 3, lib. 15, pag. 709 edit. Venet. 1574, et Gandolphum pag. 276.

1569 Die 3 Feb. Romae debitum naturae persolvit aetatis suae an. 69 Christophorus Patavinus doctissimus Ordinis Generalis, qui Concilio Tridentino interfuit.

1572 Augustinus de Castro qui postea fuit Arch. Bracharensis cum esset Lusitaniae Provincialis instituit missiones Augustinensium in Orientalibus Indiis, ubi Vicariatum Goanum subinde eidem Lusitanae Provinciae adjunxerunt. Illinc nostrates Lusitani transierunt etiam in Persidem, et in Armeniam, et utrobique aliquot coenobia extruxerunt. Vide Ord. regest. ad an. 1572 pag. 77, et an. 1641. pag. 41.

1574 Die 26 Julii mortalitatem exuit Franciscus Richardot, Belga, Episcopus Atrebatensis, et eruditus scriptor. Habebat annos 67.

1575 Fr. Martinus de Rada, Pampelonensis, et Hieronymus Marin, Mexicanus, ambo doctrina ac pietate viri spectabiles, primi fuerunt Sinensium apostoli, qui quamvis cito incoeptum opus deserere coacti fuerint, tamen immortali memoria digni sunt quia caeteris missionariis ad Coeleste Imperium viam aperuerunt. Vide Henrion historiam missionum edit. Neapoli 1854 part. 2 pag. 28.

1582 Apud Mauros Marochii captivus pie obiit ven. Thomas a Jesu Lusitanus, qui tetro inclusus carceri, verba sunt nostratis Berti, ferreisque catenis devinctus, absque libris, et qualibet re destitutus, patria lingua egregium opus edidit *de' Travagli di Gesù*. Habebat annos 53. Congregationis Discalceatorum fundamenta jecit, quod opus ab ipso inchoatum postea an. 1588 Ludovicus Legionensis ab Hieronymo de Guevara adjutus complevit.

1590 Circa hoc tempus in Sicilia instituta fuit Congregatio Centum Urbium, alias Centorbiensis. Haec Con-

gregatio confundi non debet cum illa S. Mariae de Nemore, quae adhuc viget, quaeque ante nuperrimam suppressionem tribus coenobiis constabat. Corrige itaque quae dicuntur in *Postremis Saeculis* vol. 3 pag. 205 n. 13. Nam tria coenobia, de quibus eodem in loco fit mentio constituebant Congregationem S. Mariae de Nemore, non autem illam Centum Urbium prout illic errato asseritur.

1591 Madrigalae in Hispania annos natus 64 fatis cessit Ludovicus Legionensis, *Luis de Leon*, famosus Theologus, atque celeberrimus poeta, cui paucis ab hinc annis Salmanticensis civitas statuam aeneam erexit.

1591 Die 19 Septembris aetatis suae an. 91, et Augustinianae religiosae professionis 70 Matriti in collegio D. Mariae de Aragonia placidissime spiritum Deo reddidit B. Alphonsus de Orozco. Ortum habuit Orepesae nobili Castellae oppido ex honestis piisque parentibus Ferdinando de Orozco, et Maria de Mena, quae ita disponente Deo ut infans ab ipsa nativitate Christum Dominum imitari inciperet, in stabulo illum edidit die 17 Octobris an. 1500. Antequam nasceretur nomen veluti alter Joannes divinitus accepit; nam cum mater ejus adhuc praegnans cogitaret quo nomine nascituram prolem vocare posset, ipsa Virgo virginum illi in visione apparens dixit: *Alphonsus est nomen ejus*. Quare pia mulier probe intelligens gratum fore Deiparae si filium suum illi in cappellanum dicaret adinstar S. Ildelphonsi, qui Virginis cappellanus nuncupatur statim infantem nondum in lucem editum Beatissimae Virgini hoc titulo consecravit. Adhuc puerulus duabus vicibus e mortis faucibus singulari Dei beneficio eripitur. Nam primo cum casu quidam gladiolus prope ipsum relictus fuisset, incautus puer adhuc usus rationis expers illum suis maniculis arreptum sibi pectori infigere coepit, quo procul dubio se ipsum confodisset, nisi cito accurrens mater de ejus manibus illum jam pectori infixum sustulisset antequam *tran-*

siret terminum suum prout ipsemet in suis confessionibus eadem scripturali phrasi utens testatur. Deinde cum aliquando ad ripam Tagi deambularet forte accidit ut vestigio fallente in gurgitem dilapsus sit aquis utique praefocandus nisi quidam juvenis illic natans illum vestibus apprehensum foras extraxisset. Ubi autem octavum suae aetatis annum attigit, juxta matris votum in Ecclesiis sacrum famulatum tamquam novellus Samuel exercere coepit, idque primum in Talaverae Collegiata, atque postea in Toletana Cathedrali aliquot annos singulari pietate praestitit interea litteris addiscendis sedulo incumbens, atque dilectus Deo et hominibus item effectus. Deinde parentum jussu Salmanticam se contulit, ubi Franciscus ejus germanus frater natu major studiorum causa tunc degebat, cujus vestigia sequens (nam Franciscus etiam eumdem Ordinem ingressus fuit, in quo tamen adhuc novitius morte prohibitus fuit diutius permanere) Augustinianae Familiae nomen dare statuit ad id praesertim coelesti D. Protoparentis Augustini apparitione excitatus. Itaque in coenobio Salmanticensi e manibus D. Thomae a Villanova religiosum habitum sumpsit in vigilia Pentecostes an. 1521, et anno insequenti, illam eodem D. Thoma excipiente, solemnem votorum professionem emisit. Studiorum palestram exinde ingressus initium sapientiae timorem Domini imprimis prae oculis habens tantam sacrarum praesertim disciplinarum supellectilem sibi comparavit, ut jure meritoque habendus sit ceu insignis rerum spiritualium scriptor, cuius opera typis edita illud praeseferunt animas Christo lucrifaciendi atque Deiparae praesertim glorias celebrandi ingens studium, quod in S. Alphonsi de Ligorio libris invenitur. Inter 45 tractatus quibus salutaris sapientiae thesauros Alphonsus Hispanus auxit, et quos nonnisi a Beatissima Virgine jussus publici juris facere animum induxit, ubi de eadem coelorum Regina

verba facit se ipso majorem ostendit. Ex ejusdem SS. Dei Genitricis mandato item praedicationis officium suscipiens tanto cum audientium plausu, atque animarum fructu quotidie concionabatur ut ipsemet Carolus V Imperator, ejusque filius Philippus II illum sibi in regium concionatorem atque consiliarium assumpserint; quapropter pluribus suae senectutis annis quamvis invitus Matriti usque ad obitum degere coactus fuit, tamquam in carcere detentus, ut ipsemet ait, et solis obedientiae vinculis adstrictus. Supra modum autem Regi Philippo II acceptus fuit, qui minime dedignatus est pluribus vicibus ad humillimum coenobitam in pauperrimam cellam accedere, ab eoque benedictionem sibi suaeque familiae cum omni obsequio atque reverentia postulare. Tunc temporis catholici Reges christianam humilitatem, debitamque erga ministros Christi venerationem non erubescebant! Cupiebat idem Rex Alphonsum nostrum ad aliquam e praecipuis Hispaniae episcopalem cathedram praesentare quem tamen honorem ipse nedum prae humilitate constantissime recusavit, verum etiam a Deipara dum illi aliquando apparuit gratiam impetravit ut sibi liceret usque ad obitum in sua cella coenobiticam vitam degere, quin ad Episcopatus dignitatem ascendere cogeretur. Intra Ordinem tamen plurium coenobiorum ex obedientia prioratum admisit, quo in munere subditos sibi fratres exemplo magis quam verbis per rectas religiosae perfectionis semitas jugiter dirigebat. Zelo catholicae fidei propagandae flagrans oceano se commisit ut in Mexicum proficisceretur, qua occasione cum valida tempestas suborta esset, veluti alter Paulus seipsum et socios suis orationibus ab imminenti naufragio liberavit praesertim per ligneae Crucis virtutem, quam secum gestabat, et suae peregrinationis comitem appellabat. Interea ad insulas Fortunatas arthritide corripitur, quo morbo ingravescente ex medicorum consilio in Hispaniam reverti coactus fuit. Jugi triginta anno-

rum spatio acerrimum contra daemonem bellum sustinuit, qui illum variis praesertim contra fidem scrupulis atque tentationibus exagitavit, cui tamen ipse tamquam strenuus bellator semper restitit fortiter in fide donec tandem plenam victoriam reportavit auxiliante praesertim Deipara, quae illi tunc apparens dixit: *Bono animo esto Alphonse; victi jam sunt inimici.* Quo ex tempore facta est in spiritu ejus tranquillitas magna. Numquam lethali labe suam conscientiam foedavit, et quamvis in Aula Regia tot annis versatus fuerit, tamen angelicum virginitatis candorem quoad vixit illibatum servavit vigili praesertim sensuum custodia, atque assiduis corporis afflictationibus. Siquidem jejunia ejus continua fuerunt, (ita processus informativus de ejus virtutibus) et valde rigorosa; fere numquam coenabat, et majorem, melioremque quotidiani prandii portionem pauperibus distribuebat. Brevissimus semper ei somnus fuit, immo noctes integras in orationibus, aliisque sanctis exercitationibus insumebat. Lectus ejus erant sarmenta super quae, aut super nudam humum cubabat aspero duntaxat rudique sacco pro operimento utens, idque quiescendi genus ad ultimam usque senectam, et in postrema etiam infirmitate retinuit. Ciliciis asperrimis assidue corpus suum affligebat, et subuculas adeo rudes atque scabras gestabat ut potius cilicia viderentur, et cum frequenti usu molles evaderent, eas tunc pauperibus donabat. Ferreis catenis, aliisque flagellis usque ad sanguinem carnem suam excruciabat, et quia cum Christo pati in deliciis habebat, idcirco inter hujusmodi assiduas corporis castigationes, et voluntarios cruciatus vultum semper hilarem atque serenum gerebat. Martyrii desiderium cujus palmam in Mexicano Regno colligere frustra exoptavit assiduis concionibus compensare studuit, in quibus semper pravos mores corrigere, auditores ad Dei amorem excitare,

atque in eorum cordibus ingens peccatorum odium inserere satagebat; et quamvis esset regius concionator, quippe qui non quidem humanam gloriam, sed duntaxat salutem animarum quaerebat, non suam dignitatem deprimere existimabat praedicando quotidie in hospitalibus, in carceribus, in rusticanis ecclesiis, in monasteriis, et ubicumque praesertim pauperibus conciones fieri oportebat, rogantibus amicis ne nimium se in tam frequentibus declamationibus fatigaret illico respondens: *Plus pro animarum salute Christum Dominum laborasse.* Nec tamen iisdem pauperibus divini tantum verbi spirituale pabulum, verum etiam corporalia subsidia affatim suppeditabat, quibus stipendia, quae illi ex regii concionatoris munere proveniebant, dempta symbola quam conventui pro sui sustentatione dare debebat, omnino reservabat. Puerulos mendicos, quos angelos Dei vocabat, perhumaniter excipiebat, sordibus emundabat, eisque modo calceamenta, modo caligas modo alia indumenta ad hoc suis sumptibus jam comparata prout necessitas magis exposcebat saepenumero summa cum ilaritate elargiebatur, atque aliquando quemdam ex illis strumis laborantem ac seminudum in suam cellulam perductum omni inquinamento expurgavit, novis vestibus induit, atque etiam strumarum expertem dimisit. Quadam die cum pauperrima mulier ab illo eleemosynam peteret ut filiolum quem in ulnis gestabat operire posset, et ipse quod ei largiretur, aliud non haberet, in partem secedens tunicae qua induebatur laciniam dissuit, eamque ad parvulum contegendum matri tradidit. Neque vero ad pueros tantum, sed ad caeteros quoque egenos impensa Alphonsi caritas se jugiter extendebat; potissimum autem mendicare erubescentibus, puellabus, atque viduabus ne Deum offenderent abunde atque sollicite implorata divitum ope victui necessaria suppeditabat, atque congruentem etiam dotem providebat. Praeterea nequid suis Sanctimonialibus deesset

ingeniosa illius caritas sedulo prospiciebat; quinque enim monasteria, nimirum tria Matriti, et duo Talaverae inops coenobita contra omnium expectationem fundare valuit. Tantum potest unius boni sacerdotis bene faciendi voluntas! Inter caeteras autem nostratis B. Alphonsi egregias praerogativas, quas hic brevitatis causa missas facere debemus, potissimum singularis illius humilitas eminet. Nam non solum Aulae Regiae honores, et populi plausus studiosissime declinabat; verum etiam quamvis senex, magister, regius concionator, doctrina, virtute, et auctoritate spectabilis servum inutilem atque indignum seipsum reputabat, neque umquam famulum pro sui servitio admisit, sed ipsemet sibi famulabatur viliora quaeque officia prae humilitate exercere non dedignans. Inter haec coelestibus etiam charismatibus a Deo insignitus fuit, habuit enim spiritum prophetiae quo etiam infelicem exitum praevidit sic nuncupatae *classis invincibilis* quam Philippus II in Angliam misit; accepit donum miraculorum, quo et Regi Philippo III tunc Hispaniarum Principi in extremis jam cum morte luctanti sanitatem restituit, et quemdam Sebastianum Sanchez ingenti lapide ruente collisum ad vitam revocavit; claruit gratia discretionis spirituum, et scrutationis cordium; expertus est sublimes extases et raptus; obtinuit arcanas visiones atque supernas revelationes; Christum Jesum in Eucharistia absque specierum velamine pluries inspexit, atque dum orabat ex ejus vultu, toto corpore, et ipsa quoque cellula supernaturalis splendor emittebatur, atque suavissimus odor emanabat, prout ex praefato processu constat. Post obitum autem plura patravit miracula e quorum numero SS. Dominus Pius Papa IX duo apostolica auctoritate approbavit dum sub die 15 Novemb. an. 1874 solemniter edixit: *Constare de duobus miraculis, quae Deus Omnipotens Venerabili Alphonso de Orozco adprecante operatus est:* scilicet de primo: *In-*

stantaneae , perfectaeque sanationis Pauli de Arteaga Clerici Professi Ordinis Eremitarum S. Augustini ab arthritide acuta gravissimis stipata symptomatibus : de altero : *Instantaneae perfectaeque sanationis Mariae Aloisiae Luzi Monialis a lethali concretione polyposa in dextera thoracis parte.* Eadem occasione idem SS. Dominus Pius Papa IX novo in hujusmodi solemnibus promulgationibus exemplo fieri mandavit triduanas supplicationes ad scopum, et juxta tenorem, qui patebunt legentibus sequentem precationem, quam apposite composuit noster perinsignis verbi Dei praeco P. Mag. Fr. Vincentius Semenza.

PREGHIERA

Da recitarsi nel Triduo che si celebrerà
nella Chiesa di Sant' Agostino
ne' giorni 27 28 29 Novembre.

« Santissima Trinità , Padre , Figliuolo . e Spirito
« Santo, vera, unica e sempiterna Deità, noi, prostrati
« dinnanzi al vostro trono, nel silenzio della Fede, e nel
« fervor della preghiera , ed echeggiando alle lodi ed ai
« cantici delle celesti gerarchie , adoriamo e confessiamo
« in Voi la unità della Essenza , la trinità delle distinte
« Persone , la uguaglianza della maestà e della gloria :
« adoriamo e confessiamo in Voi la sorgente inesausta
« ed inesauribile d' ogni vita naturale e sovrumana; di
« tutt' i doni della sapienza e dell'intelletto, del consiglio
« e della fortezza , della scienza , della pietà e del santo
« timore, onde vi compiaceste in tutt'i secoli di fecondare
« ed abbellire la vostra Chiesa , Una , Santa , Cattolica,
« Apostolica , e proclamarne visibilmente la divinità al
« cospetto dell'universo. Siate sempre benedetto e ringra-
« ziato da tutte le lingue, o Dio eterno, o Triade sagro-

« santa, e da noi in singolar modo in questi giorni, dopo « che per l'oracolo del Successore di Pietro, del Maestro « infallibile della Fede si sono approvati i miracoli operati « da Voi per intercessione del Ven. Alfonso de Orozco, « acciò si possa quindi procedere alla sua Beatificazione. « Rifulse eminentemente in questo Vostro Servo fedele « una delle più sublimi effusioni del Santo Spirito, il dono « del Consiglio, ed Egli divenne così la guida, l'oracolo, « il consigliere dei Re e delle Regine per governare e « condurre nella giustizia, e nella mitezza i civili destini « dei popoli soggetti, e cooperare anch' essi in tal guisa « al dilatamento, ed al trionfo del regno di Gesù Cristo « su la terra. Deh! Voi, o indivisa ed ineffabile Triade, « versate oggi in più larga copia i vostri superni doni « su tutta la società, che sconsigliatamente ha deviato dal « diritto cammino del Vangelo per correre su le vie tor- « tuose dell' errore e del male. Infondete, ve ne suppli- « chiamo, questi preziosi doni della sapienza e del consi- « glio in tutti coloro ai quali appartiene di presiedere alle « nazioni ed ai popoli, specialmente nei Sovrani e nei « Principi, affinchè comprendano, che solo per vostra vo- « lontà, solo per vostro servigio regnano i re, ed i legi- « slatori discernono la giustizia, riconoscano quegli eterni « principii sui quali riposa il vero benessere della società, « e si pieghino umili ed ossequiosi alla divina autorità « della Chiesa, organo visibile dei vostri lumi e delle « vostre grazie, depositaria, e vindice della giustizia e del « diritto. Diffondete sempre più questi doni sull' Ecclesia- « stica Gerarchia, su tutto l' ordine Sacerdotale a mante- « nersi fedele nell' affidato regime, nella dispensazione « de' vostri santi misteri, forte ed irremovibile contro le « suggestioni, e gli urti de' figliuoli delle tenebre: spar- « geteli sopra tutt' i popoli, e per essi i buoni si tengano « fermi nella verità e nella giustizia, ed i traviati ritornino

« alla piena osservanza della legge del Vangelo e della « Chiesa. Ricolmate, o augusta ed ineffabile Trinità, dei « vostri carismi il sommo Pastore, e Rettore di tutto il « gregge cristiano, il nostro gran Pontefice Pio IX, di- « sperdete le congiure de'suoi nemici, spezzate le catene, « ond'è circondato, e fate sì, che sudditi e sovrani, popoli « e Pastori, sempre obbedienti al suo infallibile magistero « corrano nell' unità della Fede, alla perfetta conoscenza « di Gesù Cristo, per acquistare i frutti della grazia su « la terra, e la immortalità della gloria nel cielo. *Ut ad « vitam, una cum grege sibi credito, perveniat sempiter- « nam.* Così sia. *Tre Pater, Ave, e Gloria* ». Tandem idem SS. Dominus Pius Papa IX die 21 Novemb. 1875 solemniter decrevit: *Tuto procedi posse ad Ven. Servi Dei Alphonsi de Orozco beatificationem.*

Nostratis B. Alphonsi pietatis atque doctrinae perenne monumentum sunt egregia opera, quae sequuntur, quaeque typis impressa habentur partim latine, partim hispanice, et partim etiam gallice.

1. *In Cantica Canticorum.* 2. *Catechismus.* 3. *De examine conscientiae, in quo tres partes Poenitentiae elucidantur. Huic libro adnexum est directorium confessariorum, poenitentium, et communicare volentium.* 4. *Hortus orationis, et mons meditationis, in quo ad Christi imitationem orare docemur. Huic quatuor meditationum gradus adjunxit.* 5. *Directorium animae demonstrans qua ratione Evangelium Christiano exequi conveniat, quare instructionem super Fidei articulis, et Decalogo comprehendit.* 6. *Concionum de solemnit. B. M. V. lib. 1.* 7. *Tractatus de Rosario B. M. V. quae duodecim privilegiis reliquos Sanctos superavit, ut revelatum fuit S. Joan. Evang.* 8. *Duodecim orationes ad B. M. V. ut pro nobis duodecim virtutes apud Filium impetret.* 9. *de SS. Joan.*

Bapt. et Evang. 10. *De agonia in hora mortis.* 11. *Sermones Quadragesimales.* 12. *Sermones de Sanctis.* 13. *Quaedam historia in qua recensentur multa de SS. Augustino, M. Monica, Nicolao Tolentinate, deque aliis pluribus, qui non solum Augustinianam Familiam, verum etiam Christianum nomen admodum illustrarunt.* 14. *Vita S. P. Augustini.* 15. *De Regina Saba.* 16. *Memoriale sancti amoris, in quo ostenditur quomodo amoris debito (quo Deo obstringimur) possimus satisfacere. Huc accedit pro singulis hebdomadae diebus proprium exercitium, Passione Dominica feriae sextae assignata.* 17. *Liber qui institutionem vitae Christianae complectitur, quomodo scilicet quilibet Christianus vitam agere debeat.* 18. *Desponsatio spiritualis, in qua agitur de votis religiosis.* 19. *Soliloquium, in quo Passio Domini tota exprimitur, lib. 1.* 20. *Declamationes, et orationes in festivitatibus S. P. Augustini.* 21. *De vitio linguae lib. 1.* 22. *Confessio totius vitae suae ad imitationem S. P. Augustini, in qua beneficia etiam sibi a Deo impertita enarrat.* 23. *Sermones Adventuales.* 24 *Sex declamationes pro adventu Salvatoris. Et alia.*

1601 Nostrates Hispani ex insulis Philippinis in Japoniam profecti sunt, ibique Christi Evangelium magno cum zelo et animarum lucro propagare coeperunt. Ex eorum numero multi martyrium fortiter subierunt, inter quos peculiarem mentionem merentur Petrus de Zuniga Hispalensis Marchionis Alvari Manriquez Proregis Mexici filius, Ferdinandus de Ayala, alias a S. Josepho, Bartholomaeus Guttierez, et nostrates Discalceati Vincentius a S. Antonio, et Franciscus a Jesu, qui una simul cum aliis sex Augustinensibus martyribus die 7 Julii 1867 solemni ritu in Beatorum album relati sunt.

1608 Romam occasione Capituli generalis convenerunt nostrates 1500 Vide regest. Ord. ad praefatum annum pag. 2.

1612 Die 19 Maji Romae supremum diem explevit Cardinalis Petrocchini annos natus 76. Electus fuit Presbyter Card. titulo S. Augustini die 14 Decemb. 1589, et Episcopus Praenestinus die 11 Augusti 1611.

1614 In Capitulo gen. Romae habito nostrates Discalceati non fuerunt admissi ad ferendum suffragium, quia non erant amplius sub obedientia P. Rm̃i. Vide ad praefatum annum in Ord. reg. pag. 29.

1615 Obiit Leonardus Coquaeus, Gallus, scriptor insignis, e cujus operibus plura utilia depromere possunt qui scribunt apologias Summorum Pontificum.

1620 Die 8 Aprilis obiit Angelus Rocca Sacrarii Pontificii Praefectus, Angelicae Bibliothecae fundator, atque eruditissimus scriptor.

1624 Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium declaravit Moniales Augustinenses frui indulgentiis, et privilegiis Ordinis. Vide regest. ad praefatum annum pag. II.

1643 Fani humanis rebus exemptus est Fortunatus Scacchi Anconitanus, Sacrarii Pontificii Praefectus, et eruditus scriptor. Vixit annos 70.

1645 Die 3 Junii in Capit. gen. Romae habito statuitur ut quatuor in Ordine essent PP. Magistri Assistentes, nimirum unus Italus, alter Gallus, tertius Hispanus, et quartus Germanus. Hoc decretum confirmavit Summus Pontifex Innocentius X an. 1647. Ab an. 1593 usque ad hoc tempus duo tantum erant PP. Mag. Assistentes (ex Const. Clementis VIII apud Empoli pag. 295) unus citramontanus, et alter ultramontanus.

1652 Supprimuntur parvi conventus Italiae, et insularum adjacentium, in quibus sex saltem fratres non degerent. Hujusmodi lege suppressi sunt conventus 1448. Nimirum Ord. Eremit. S. Augustini 344, Conventualium S. Francisci 446, S. Dominici 125, Minorum Observantium S. Francisci 13, Servorum Mariae Virginis 70,

Carmelitarum 232, Societatis Jesu 4, Congr. Somaschae 3, Cruciferorum 21, Silvestrinorum 6, Minimorum S. Francisci de Paula 22, Tertii Ordinis S. Francisci 55, Fratrum (sic) de Aqua 9, Congr. Olivetanae 8, Canonicorum Lateranensium 6, Scopetinorum 9, Camaldulensium S. Romualdi 7, Coelestinorum 10, Capucinorum 4, S. Joannis de Deo 20, Theatinorum 7, Fratrum bonae mortis 4, Fratrum S. Hieronymi Fesulanorum 23. Verum post varias instantias restituti sunt Augustinianis conventus 57, Conventualibus 140, Dominicanis 51, Carmelitis 19, Servitis 11, Somaschis duo, Fratribus de Aqua 4. Ex chronico primo Congregationis de Lombardia pag. 253, et 254.

1681 Die 16 Februarii in patrio Vintimiliensi coenobio in Liguria occidentali vita fungitur Angelicus Aprosius celebris scriptor, et Bibliothecae Aprosianae fundator. Ortum habuit an. 1607. Illius Aprosiana Bibliotheca vi suppressionis a Republica Ligure proclamatae 18 Octob. 1798 Genuam translata fuit, ubi potiorem partem constituit illius publicae bibliothecae. Sic Augustinenses duo, nempe Angelus Rocca, et Angelicus Aprosius binas in Italia insignes bibliothecas fundarunt. Erudimini *liberales* qui coenobitas proscribitis! Ideo autem nos proscribitis quia in Deum non creditis; verumtamen incredulitas vestra fidem nostram non evacuabit, neque Deum impediet quominus cornua vestra vobis confringat.

1681 Die 10 Julii Lovanii in Belgio mortalem vitam posuit Christianus Lupus doctissimus scriptor. Ortum habuit Hypris die 23 Julii an. 1612.

1694 Vel juxta Ossinger 1695 Parisiis in coenobio S. Germani ex hac vita migravit Augustinus Lubin Parisiensis celebris scriptor, et famosus geographus. Habebat annos 71.

1700 Cum Roma abesset DD. Lambertus Le Drou Episcopus Porphyriensis et Sacrarii Apostolici Praefectus,

quidam Eremitano Ordini extranei ejus locum in Conclavi (Innocentio XII vita functo) tenere ambierunt; verum Sacrum Cardinalium Collegium Augustinensium precibus annuens illorum jura sarta tecta servavit, atque Sacristae vices P. Mag. subsacristae Fr. Paulo Mariani assignavit.

1704 Die 27 Feb. Romae in palatio sito e conspectu ecclesiae S. Angeli Custodis extremam diem obiit Cardinalis Henricus Noris ob singularem doctrinam omnibus notissimus. Primam lucem aspexit Veronae die 29 Augusti 1631.

1705 Card. Vincentius Petra Romae edidit sua commentaria, in quibus tom. I pag. 290 haec scribit: *Hujusmodi vitae eremiticae auctor fuit B. Paulus dictus primus Eremita, propagator B. Antonius, et etiam B. Augustinus talem vitam professus, et demum B. Romualdus institutionem hanc egit.*

1708 Ravennae obiit aetatis suae anno 82 noster Caesar Pronti celebris pictor, qui ortum habuit Crustumii (nella Cattolica) an. 1626. Alium insignem pictorem habuit Eremitanus Ordo in Hispania, nempe Petrum de Montoja, qui floruit saeculo XVI. Item apud eruditos notissimus est Fr. Joannes celebris architectus, qui nomen suum immortalitati commendavit in molitione aulae Patavinae vulgo *Salone* nuncupatae. Vide Lanteri vol. 3 pag. 30 et seq.

1714 In Sinensium Imperio annos natus 45 ad meliorem vitam transivit Guilelmus Bonjour, Gallo-Tolosanus, hebraicae, grecae, et copticae linguae, necnon motus astrorum scientissimus. Illius corpus jussu Imperatoris Pechinum translatum in ecclesia catholicorum reconditum fuit.

1715 Die 12 Junii Romae hanc mortalem vitam reliquit Nicolaus Fridericus Gavardi Mediolanensis, eximius philosophus ac theologus, qui suis scriptis christianam rempublicam illustravit.

1726 Anconae vitam cum morte commutavit Hiacynthus Tonti de Ancona celebris concionator, et complurium utilium librorum auctor. Vixit annos 60.

1728 Benedictus XIII sub die 29 Feb. facultatem dedit Prioribus generalibus Ordinis, et superioribus Conventuum adnectendi coronis precatoriis Cincturatorum indulgentias concessas coronis septem dolorum B. Mariae Virginis, et S. Birgittae. Vide Marcolini pag. 616.

Eodem anno sub die 5 Junii S. Cong. Concilii definivit contra Franciscanorum postulata B. Claram de Monte Falco fuisse Sanctimonialem Ordinis Eremitarum S. P. Augustini. Vide Marcolini pag. 616.

Item eodem anno sub die 16 Julii Episcopus Papiensis judicium protulit de identitate corporis S. P. Augustini, quod inventum fuit in ecclesia S. Petri in *Coelo Aureo* die 1 Octobris 1695.

1737 Pie obdormivit in Domino Tendae in Comitatu Nicaeensi super maritimas alpes (ubi primam lucem aspexerat an. 1668) noster celeberrimus poeta Joannes Baptista Cotta. Etiam hac nostra aetate binos habet Eremitanus Ordo insignes poetas, nimirum P. Mag. Philippum Balzofiore de Insula Aenaria (Ischia) qui de laudibus Deiparae Virginis egregie elaborata carmina edidit, et conterraneum meum P. Mag. Vincentium Belloni de Monte-Alto in Liguria occidentali, qui hisce nunc diebus typis evulgavit poema epicum sub titulo *S. Paolo a Malta*, quod revera opus classicum nuncupari mereretur, si quibusdam eroticis episodiis careret. Optandum est ut juvenis auctor dum tempus habet de tam praeclaro sui rari ingenii partu expurgando cogitare velit. Quae autem scribo ecce coram Deo quia sine invidia loquor.

1742 Die 22 Januarii Romae fatis concessit Fr. Fulgentius Bellelli notissimus scriptor. Natus est Buccini in Regno Neapolitano an. 1675, fit Angelicae Bibliothecae

Praefectus et Procurat. gen. an. 1721, ac demum Prior Generalis die I Nov. 1726.

1744 Die 30 Augusti an. 1744 Matriti extremam diem obiit noster Cardinalis Gaspar de Molina y Oviedo. Ortus est Emeritae die 6 Januarii 1679. Habitum induit die 14 Augusti 1694, inauguratur Episcopus Havanae an. 1733, et eodem anno Barcinonem, atque 1734 Malacham transfertur. Creatur Cardinalis die 20 Decembris 1737.

1746 Die 27 Julii Auximi in Piceno cum odore sanctitatis obdormivit in Domino P. Bacc. Fr. Thomas Arbuatti, cujus beatificationis causa statim introducta postea intermissa fuit. Ortum habuit in pago Lauretano die 14 Novembris 1673.

1757 Extremum diem obiit Joannes Michael Cavalieri Bergomensis insignis de rebus liturgicis scriptor. Vixit annos circiter 60.

1766 Die 26 Maji Pisis obiit Joannes Laurentius Berti, Hetruscus, celeberrimus theologus, atque historicus. Ortum habuit Seravetiae die 27 Junii 1696.

1773 Die 5 Maji aetatis suae an. 72 Matriti debitum naturae persolvit Henricus Florez Hispanus celebris theologus atque historicus, uti ejus opera typis edita testantur.

1776 Pragae extremam diem obiit Jordanus Simon insignis complurium operum praesertim apologeticorum scriptor. Ortum habuit Neostadii ad Salam in dioecesi Wirceburgensi an. 1719.

1780 Obiit Fr. Maria Dominicus Josephus Engramelle famosus mechanicus, qui est auctor utilium inventionum, quae praesertim musica instrumenta respiciunt. Ortus est *Nedonchal* in Gallia die 24 Martii 1727.

1782 Die 23 Aprilis Neapoli ad meliorem vitam transivit Joannes Nicolaus Chiesa Genuensis, qui fuit complurium valde animarum saluti utilium librorum asceticorum auctor. Ortum habuit Genuae an. 1696.

1789 Exoritur ex infernis specubus teterrimum atque saevissimum gallicae rebellionis monstrum, quod universam Europam, aliarumque regionum magnam partem rivis humani sanguinis irrigavit. Tunc proclamata fuerunt damnatissima *famosa principia*, quae cum religiosae, cum civilis societatis exitium involvunt, quaeque illud pertinacissimum praesertim contra thronum et altare bellum initiavit, quod hisce nunc diebus adhuc perdurat cum tanta malorum colluvie tantaque Ecclesiae jurium conculcatione ut absque errandi formidine affirmari possit Reipublicae Christianae perniciosiorem fuisse gallicam rebellionem, quam germanicam reformationem. Quomodo autem, et ubinam praefatum antichristianum bellum adhuc perseveret ego dicere nolo; nam tempore nimiae libertatis satius est quasdam veritates silentio praeterire quam calamo describere. Teneri tamen hic non possum quin animadvertam e potentioribus *famosorum principiorum* patronis unum ad Vaterloum, et alterum ad Sedunum justissimam sui ingentis errati poenam luisse. Ut tandem missa faciamus innumera damna quae praefatae gallicae rebellionis tempore omnis ecclesiasticorum coetus pertulit, noster Eremitanus Ordo praeter alia plurima quae in tota fere Europa ea tempestate amisit, in ipsa sola Italica peninsula ab an. 1798 ad 1810 coenobiorum uno vel duobus plus minusve 390 jacturam fecit. Verum postquam ultrix indignatio Dei excommunicationibus onusti Corsici Ducis nimis elatam cervicem (1815) penitus confregit, ex illis non pauca recuperavimus, quae tamen omnia una simul cum illis, quae in insulis sita Gallorum ungues evadere potuerant, universim numero 139 non comprehensis iis quae ad Discalceatos pertinebant, ab an. 1855 ad 1873 Gubernium Subalpinum gradatim abolevit. Nunc autem huc tandem jam venimus ubi opportunus locus esse videtur nostratis Michaelis Augustini biographiae concinnandae, ex cujus lectione aliquantulum

saltem solatii quispiam percipere poterit cum eo pervenerit, ubi de prophetiis ab illo circa Ordinem nostrum praenunciatis sermo fiet. Ortus est itaque noster Michael Augustinus Delfino die 21 Martii an 1747 in Liguriae Occidentalis oppido vulgo *Rossiglione Genovese* nuncupato ex honestis probisque parentibus Michaele Delfino, et Theresia Marchelli, qui erant de primoribus illius regionis familiis. Eremitanum Ordinem apud celeberrimam nostratis Ven. Jo. Baptistae Poggi Congregationem in coenobio S. Mariae de Consolatione Genuae ab adolescentia ingressus, initium sapientiae timorem Domini supra omnia discere studuit, ac subinde evasit vir multae orationis, magnae humilitatis, singularis poenitentiae, ac ferventissimae erga Deum et proximum charitatis. Ingentem animarum zelum Delphinus noster maxime ostendit tum in confessarii munere exercendo, in quo ita egregie se gerebat ut multi quotidie omnis coetus fideles ad illius exedram concurrerent, tum etiam ad lectum morientium, quibus indefessa assiduitate, atque mira charitate ad extremum agonem hortator animaeque commendator assistebat. Cum autem etiam pingendi artem rite calleret, siquid temporis a pietatis operibus illi supererat, id in sanctorum imaginibus delineandis insumebat, atque sui etiam ipsius effigiem posteris reliquit, quae Genuae adhuc asservatur apud S. Martini de Albaro. Cum autem pius coenobita praeclara jugiter omnium virtutum exempla e claustro universae Genuensi urbi praeberet, accidit (1810) ab ipso jam multis praedicta Neapoleonica Ordinum Religiosorum suppressio; quare suam cellam desèrere coactus in patriam se recepit, unde paullo post oppidum inde non valde dissitum vulgo *Morzasco* appellatum incolere profectus fuit. Nolens autem piissimus vir diutius extra claustrum permanere, petiit atque obtinuit ut sibi cum quibusdam aliis nostratibus, nempe cum PP. Josepho Bisso, et Jacobo Botto, atque

Fr. Aloysio Balestrero in suburbio S. Fructuosi extra moenia urbis Genuae in Augustinensi S. Agathae coenobio religiosam vitam ducere liceret. Itaque ibidem inter consuetas vitae austeritates atque pietatis exercitia permansit usque ad annum 1814, quo plenus meritis die 26 Feb. cum magna opinione sanctitatis ex hac vita migravit. Demortui corpus ut publicae pateret venerationi plures dies supra humum servatum fuit, ac tertio ab obitu die ex incisa de industria vena vividum sanguinem emisit, quem certatim fideles albis sudariolis exceperunt. Fertur etiam quidam Presbyter (Dominicus Farina annos natus 77) per ejus intercessionem visum recuperasse. Illius corpus an. 1845 die 25 Junii ad nostram B. M. V. de Consolatione ecclesiam translatum fuit sub secreto nocturni silentii ne tumultus fieret in populo S. Fructuosi, atque reconditum *prope monumentum R. P. Jacobi Botto, ne sejungerentur post mortem, qui jungebantur in vita* . . . . Nunc autem en prophetias nostratis Delphini quas supra innuimus, quaeque enarrantur in illius vita conscripta a Rev. Sac. Prof. D. Fideli Luxardo edit. Genuae 1873 pag. 32 et seq. atque apud Lanteri vol. 3 pag. 221. 1 Praedixit generalem Ordinum Religiosorum suppressionem, quae postea revera executioni (1810) a Neapoleone 1 mandata fuit. 2 Tempore ejusdem suppressionis loquens de nostro Eremitano Ordine praenuntiavit illum fore restituendum, 3 post aliquantulum temporis aliam suppressionem subiturum, 4 post hanc alteram suppressionem ad exactiorem observantiam iterum resurrecturum. Ternae vaticinii partes jam impletae certo nobis indicio sunt Delphinum ex peculiari Dei afflatu fuisse locutum; restat igitur ut Ordinis nostri resurrectionem jure expectare possimus. Praefatas nostratis Delphini praedictiones ego ipse qui haec scribo dum Genuae commorabar an. 1842 ab illis Patribus referri audiebam. Nemo autem tunc suspicari poterat nuperrimam, quam sustinemus, suppressionem.

1794 Decessit Didacus Thaddaeus Gonzalez Hispanus insignis poeta, atque poesis in Hispania instaurator. Ortus est in Civitate Roderici circa an. 1730.

1796 Nostrates PP. Matthaeus Carr, et Joannes Rossiter Hiberni fundamenta jecerunt nostratis S. Thomae Provinciae in Pensylvania in Statibus Unitis Americae. Eadem autem Provincia plurimum debet P. Mag. Assistenti Patritio Eugenio Moriarty item Hiberno celebri oratori, qui hoc ipso anno 1875 ad meliorem vitam transivit.

1797 Die 4 Maji Romae piam justorum mortem oppetiit Augustinus Antonius Giorgi vir eruditissimus, exoticae polygraphiae peritissimus, atque apud omnes viros sapientes summo in honore habitus. Natus est in oppido S. Mauri in Aemilia an. 1711, eligitur Angelicae Bibliothecae Praefectus an. 1752, Procurator gen. 1764, et Vicarius generalis 1784.

1803 Die 4 Maji ex hac vita migravit perinsignis Tarraconensis Archiepiscopus DD. Franciscus Armaña. Natus est Villanovae de Geltru in Hispania die 3 Junii 1718, electus Ep. Luci Augusti die 25 Junii 1768, et Arch. Tarraconensis 14 Feb. 1785.

1804 Die 15 Maji Pius VII Const. Apost. incip. *Inter gravoiores curas* decrevit quod supremum regimen Ordinum Religiosorum, qui in Hispaniis coenobia haberent alternatim deinceps esset gerendum, quod nimirum una vice in Superiorem Generalem eligeretur religiosus nationis Hispanicae et altera vice religiosus alterius cujuscumque nationis, et quando Generalis esset Hispanus tunc religiosi caeterarum nationum haberent Vicarium generalem, et sic vicissim. Haec nova regiminis forma in nostro Ordine perduravit usque ad an. 1841 quo ad instantiam Rmi P. Mag. Gen. Angelucci a Gregorio XVI abrogata fuit.

1810 Die 3 Maji Neapoleo I extendit etiam ad omnes Pontificiae ditionis provincias sic nuncupatam *legem suppres-*

sionis omnium Ordinum Religiosorum nesciens paucis post annis ipsum ejus imperium fore sopprimendum.

1811 Decessit noster Engelbertus Kluepfel Germanus, qui ortum habuit Wipfeldae in Franconia an. 1733, Est complurium sacrorum librorum celebris auctor.

1815 Post devictum atque relegatum in scopulum S. Helenae sub vigili Anglorum custodia Neapoleonem coenobia paulatim restitui coeperunt, et Summus Pontifex Pius VII an. 1816 praecepit bonorum Ecclesiae restitutionem prout ei licuit absque laesione decretorum Concilii Viennensis, quod maluit particeps fieri sacrilegae usurpationis expostulans quasdam condonationes.

1821 Noster Rm̃us DD. Salvator Maria Cacamo Archiepiscopus Larissae annuente Pio VII in Sicilia fundavit nostratem Congregationem S. Mariae de Nemore, quam non semel irrito conatu a Generalis jurisdictione sejungere tentavit.

1822 Idem Pius VII nostratibus Hibernis pro coenobio S. Matthaei in Merulana, quod tempore Gubernii Gallici solo aequatum fuit, assignavit aedes S. Mariae in Posterula ad arcum Parmae, quae antea ad Coelestinos pertinebant.

1823 Die 25 Martii in Palatio Quirinali cum opinione sanctitatis ex hac vita migravit Ven. DD. Josephus Bartholomaeus Menocchio Sacrarii Pontificii Praefectus. Ortus est Carmaniolae in Pedemontio die 10 Martii an. 1741, electus Ep. Hipponensis 18 Decemb. 1795, et Ep. Porphyriensis atque Sacrista Apostolicus die 2 Aprilis 1800. Illius beatificationis causa in praesentiarum agitur.

1824 Die 9 Feb. extra claustrum obiit celeberrima Augustinensis Sanctimonialis Catharina Emmerich, cujus notissimae sunt contemplationes circa sacram Domini Passionem. Ortum habuit Flamsckaé in dioecesi Monasteriensi in Borussia die 8 Septem. 1774.

1834 Ex hac vita migravit DD. Jacobus Doyle Hibernus, qui fuit celeberrimus Kildarae Antistes cuique propterea Hiberni marmoream statuam in urbe Carlow erexerunt. Vixit tantum annos 48.

1835 Die 28 Augusti SS. Dñus Gregorius XVI confirmavit cultum immemorabilem nostratum BB. Petri, et Joannis de Bequette consanguineorum, qui eremiticam vitam inter Augustinenses amplexi, et verbi Dei praedicatione, sed magis asperrima poenitentia, ferventissimaque in Dominicam Passionem devotione illustres suae peregrinationis finem feliciter consummarunt. Illorum Officium habetur in recentioribus Breviariis sub die 11 Augusti. Uterque patriam habuit Fabrianum in Piceno quamvis ex Nobilissima Anglica progenie, ex qua S. Thomas Cantuariensis prodierat, originem traxerit. In praefata Fabrianensi urbe B. Joannes sancto fine quievit an. 1420, quem anno insequenti B. Petrus in superna mansione assecutus est.

1840 Die 3 Januar. obiit Cardinalis Patritius de Silva. Ortus est Leiriae die 15 Octob. 1756, electus Arch. Eborae 21 Feb. 1820, Cardinalis 27 Septemb. 1824, et Patriarcha Ulyssiponis 13 Martii 1826.

1840 Genestani die 2 Feb. cum magna sanctitatis fama obdormivit in Domino noster Ven. Stephanus Bellesini, cujus beatificationis causa feliciter procedit. Primam lucem aspexit Tridenti die 25 Novemb. 1774.

1845 Fatis concessit Josephus de la Canal Hispanus celebris scriptor, et Hispaniae Sacrae nostratis Henrici Florez continuator. Ortus est in dioecesi Santanderiensi an. 1768.

1873 Die 19 Junii etiam ad romanam provinciam, ipsamque Romam lex suppressionis Ordinum Religiosorum extensa est; quapropter die 3 Decembris ejusdem anni venerunt ministri Gubernii capere possessionem hujus conventus S. P. Augustini de Urbe singulis coenobitis tra-

dentes syngrapham annuae pensionis. Hic autem animadvertere operae pretium duco quod licet in hoc, vel in illo loco coenobia passim supprimantur, nihilominus monastica instituta nunquam omnimode deleri poterunt quippe quae fundamentum habent in ipso angulari lapide Christo Jesu qui solus vere dicere potuit: *Coelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Quoniam itaque, prout etiam monet noster insignis asceta Nicolaus Chiesa, usque ad mundi finem viri religiosi jugiter futuri sunt, qui evangelica consilia sectentur, idcirco eisdem ego etiam atque etiam sequentia monita testamenti instar relinquere volo ad alias in posterum expoliationes non inquam penitus impediendas, sed saltem quodammodo mitigandas. Igitur cum quotidiana experientia constet quod praesertim post Neapoleonicam coenobiorum suppressionem, vi cujus multi ex pauperibus divites spoliis Ecclesiarum ad suam ipsorum ruinam facti sunt, liberales omnes etiam hi qui catholici esse videntur invidis avidisque oculis omnia bona nostra aspiciunt quamlibet aucupantes opportunitatem eadem sibi utcumque usurpandi, idcirco ne hujusmodi rerum nostrarum fame furentium luporum contra nos magis magisque rabiem provocemus, siquando nobis feliciores dies illucescere coeperint, quibus res nostras pacifice possidere licebit, omnimodis praecavere oportebit ut cum tempus expoliationis redierit (hora etenim potestatis tenebrarum identidem revertitur) minus, quod nobis surripere possit, inveniat insatiabilis inimicorum nostrorum cupiditas. Quamobrem si nova alicubi coenobia extruenda sint, ipsa magis coenobitarum paupertatem, quam divitum magnificentiam aemulentur, ut sic minus invidorum aviditatem excitent, ambulacra non spatiosa, sed angusta fiant, ne cito evadant militum hospitia, aulae amplae omnimodis eliminentur ne modernis philantropis tentatio veniat ibidem publica gymnasia, vel asyla infantilia collocandi, unaquaeque domus

eos tantum proventus habeat, qui religiosae familiae honeste alendae sufficiant; nam quo magis conventuum bona cumulantur, eo etiam magis inimicorum nostrorum ira atque cupiditas augetur, superflua autem, si adsint, vel divini cultus splendori augendo, atque sacrarum solemnitatum pompae amplificandae impendantur, vel erogentur in ea ecclesiarum ornamenta comparanda, quae non ita facile auferri possint, uti sunt altaria marmorea, pulpita, septa, pavimenta, figurae muro appictae, et alia hujusmodi, non autem in vasa atque utensilia aurea vel argentea, (praeter necessaria) quia haec sunt deposita liberalium unguibus reservata, quibus ad ea auferenda parum temporis non semper illis deerit; vel demum distribuantur veris pauperibus, non autem parasitis, qui postquam comederint panes nostros data occasione magnificant super nos supplantationem. Praeterea quoad fieri potest res nostrae, ac praesertim bona mobilia viris saecularibus non manifestentur, eisque intra coenobiorum septa nonnisi raro atque necessitatis tantum causa aditus pateat; nam saecularium frequens ad coenobia accessus multimodis ut plurimum in coenobitarum perniciem redundat. Quod si ut saepe contingit aliquis coenobita assiduis saecularium accessibus occasionem praebeat, is in illo coenobio nullimode toleretur, aut saltem, cujuscumque sit conditionis, nonnisi in ostiarii cella saeculares alloqui permittatur.

1873 Die 22 Decemb. in coenobio S. Mariae in Posterula praesentibus DD. nostrate Fr. Jacobo Alipio Goold Archiep. Melburnensi, et Vincentio Tizzani Canonico Regulari Ord. S. P. Augustini Arch. Nisibensi, meipso aliisque nostratibus a Rm̃o P. Mag. Generali Fr. Joanne Belluomini publicatum fuit SS. Dñi Pii Papae IX decretum, quo noster P. Mag. Assistens Fr. Thomas Maria Martinelli renuntiabatur S. R. E. Diaconus Cardinalis.

Hoc autem anno 1875 die 17 Septembris translatus fuit ad Ordinem Card. Presbyterorum, ac proinde pro S. Georgii in Velabro titulum S. Priscae accepit. Occasione primae promotionis Rmus Pater Mag. Joannes Belluomini ad omnes PP. Provinciales, Commissarios, atque Priores ejusdem Ordinis sequentem epistolam misit.

Quamvis nostra Heremitana S. P. Augustini Familia non ita multos enumeret nostrates S. R. E. Cardinales, tamen eos quos hactenus protulit summopere commendat antiquitas, ad sidera usque extollit historia, ac miratur quoque haec nostra aetas. Apud scriptores tum veteres, tum recentiores, ut de antiquioribus tantum Augustinensibus Purpuratis verba faciamus, summis celebrantur praeconiis immortalia nostratium Cardinalium nomina Aegidii Columnae, Bonaventurae Baduarii, Aegidii Canisii Viterbiensis, Alexandri Olivae, Hieronymi Seripandi, Gregorii Petrocchini, atque Henrici Noris, qui omnes tum doctrinae amplitudine, tum maxime pietatis splendore in medio Eminentissimorum S. R. E. Principum Senatu tamquam fulgidissima lumina emicuerunt. Talis ac tanta nostratum Cardinalium fama maximam ostendit Summorum Pontificum sapientiam, qui in provehendis ad tantae dignitatis fastigium Augustinensibus rara tantummodo eorum merita respexerunt. Respexit quoque hisce nunc diebus Sanctissimus Dominus Pius Papa IX merita praeclara humillimi cujusdam nostratis Coenobitae, eumque praeter omnium expectationem dum sacristae munere fungens hujus nostrae S. P. Augustini ecclesiae cultum ac decorem magno cum zelo, ac majori pietate, atque non minori liberalitate promoveret, nil minus prae humilitate optantem in Sacrum Cardinalium Collegium cooptavit. Hic est P. Mag. Fr. Thomas Martinelli nostri Eremitani Ordinis generalis Assistens. Nolumus nunc omnibus notam illius modestiam offendere ejus laudes concinnando; ast parce admodum,

quae de illo in praesentiarum absque injuria omitti non possunt referemus. Itaque ortum habuit vir aeque pius ac eruditus in paroecia S. Annae prope Lucam in Tuscia die 3 Februarii anno 1827. Admodum juvenis, anno scilicet 1843, nostro Eremitano Ordini nomen dedit, in quo ita jugiter bonitatem, disciplinam, et scientiam sectatus fuit, ut novellis nostrae Augustinianae Eremi plantationibus pietate ac doctrina enutriendis praepositus fuerit, seque omnibus supremis nostrae Augustinianae Religionis Moderatoribus, ac potissimum Rm̃o P. Mag. Paulo Micallef nunc Archiepiscopo Pisano, nobisque acceptissimum se reddiderit. Nobiliora subinde obtinuit Ordinis munera, fuit enim in hoc S. P. Augustini coenobio Studiorum ac Collegii Regens, Ordinis Secretarius, ac demum Assistens. Nec minus extra claustrum illius nomen resplenduit. Electus enim fuit in Romano Archigymnasio S. Scripturae professor, consultor S. Cong. Indicis, membrum Academiae Religionis Catholicae, examinator in concursibus ad Operam Piam Carolinam, Collegii theologici Romanae Universitatis subdecanus, ac demum Concilii Vaticani theologus. Hac autem die, quam fecit Dominus ut exultemus et laetemur in ea, immortalis Pontifex Pius Papa IX, cujus venerandam canitiem Deus sospitet ad multo plures adhuc annos, Martinellium nostrum S. R. E. Cardinalem creavit. Benedictus Deus, qui in mediis tot aerumnis, in tanta conventuum ac bonorum nostrorum jactura, dum undique affligimur, dum ex aedibus nostris expellimur, dum rerum nostrarum rapinam sustinere cogimur, hanc jucundissimam cordi nostro consolationem afferre dignatus fuit, quae veluti quoddam salutare balsamum dolores nostros quodammodo lenit, ac demulcet! Ne itaque pro tanto in Ordinem nostrum collato beneficio SSm̃o Dño Pio Papae IX inveniamur ingrati Omnipotentem Deum, ac Deiparam Immaculatam pro illius universae Ecclesiae valde pretiosae

vitae conservatione enixe deprecemur, ac ut debitae Domino gratiae agantur praecipimus ut in singulis Ordinis nostri ecclesiis, in quibus id commode fieri potest, hymnus *Te Deum* solemniter cantetur.

Valete in Domino.

ADDITIO

Accitanae Coloniae (di Guadix) Aug. Ep.

Fr. Vincentius Pontes y Cantelar ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus D. Francisco Pontes, et D. Antonia Cantelar progenitus primam lucem aspexit Matriti in Hispania die 29 Martii an. 1809. Apud Clericos Regulares Scholarum Piarum humaniores litteras edoctus ipsum suae adolescentiae florem Domino consecrare statuit dum an. 1825 die 1 Novembris in coenobio Cordubensi Ordinis Erem. S. P. Augustini solemnium votorum professionem emisit. Deinde consuetum studiorum curriculum eo profectu confecit ut an. 1832 Lectoris gradum promeruerit, quod munus Malachae exercuit usque ad an. 1835, quo ob notissimas omnibus atque cruentas Hispanici Regni politicas vicissitudines die 19 Augusti suam cellam egredi coactus fuit. Extra claustrum degens in eadem Malachensi urbe sub titulo S. Augustini Collegium fundavit, in quo ipsemet rector constitutus humaniores litteras docuit, atque religionis et moralis cathedraticum egit usque ad an. 1851, quo, cum paullo ante Ecclesiae S. Joannis beneficiatus electus fuisset, praesertim hortante atque jubente Rm̃o DD. Ep. Salvatore de Reyes SS. Caroli et Dominici paroeciam praefatae civitatis per concursum sibi adjudicatam regendam suscepit. In utroque loco ea doctrinae, gravitatis, prudentiae, morum probitatis, atque rerum agendarum dexteritatis specimina jugiter exhibuit, ut a

SS. Dño Pio Papa IX dignus habitus fuerit, qui ex Catholici Regis praesentatione ad Episcopatum Accitanum die 17 Septembris currentis an. 1875 promoveretur. In sacerdotalis ministerii officiis obeundis semper se laudabiliter gessit, multumque in sacris pergamis desudavit, quo in munere exercendo insignis concionatoris nomen sibi comparavit, in variis item publicae instructionis et beneficentiae comitatibus praecipuas partes habuit, atque talem semper tenuit suae vitae rationem, ut etiam illi qui ex adverso essent nihil haberent malum dicere de illo. Multiplicet Dominus annos Episcopatus ejus, et conferat illi cumulum coelestium donorum ut omnes et singulas sibi concreditas oves una simul secum ad aeterna tabernacula tuto perducat. Ex relatione mihi transmissa a nostrate P. Fr. Joanne Dominico de Amezti.

Civitatis Roderici (di Città Rodrigo) Aug. Ep.

Fr. Franciscus Emmanuel de Zuniga ex Hispaniae Magnatibus cum Ordini Erem. S. P. Augustini nomen dedisset, ad eam virtutis atque doctrinae laudem pervenit, ut anno 1695 ad Civitatis Roderici in Castella Veteri Episcopatum promoveri meritus fuerit. Pacifice illam Ecclesiam rexit usque ad annum 1712, quo SS. Sacramentis rite munitus die 14 Decembris ex hac vita migravit. Illius mortales exuviae in cathedrali templo tumulatae sunt. Pius Bonifacius Gams pag. 66 nostratis Francisci Emmanuelis nomen omnino praetermisit, eo quia, ut ipsemet ait, seriem Episcoporum praefatae urbis, quam Matriti a D. Vincentio de la Fuente acceperat, casu adverso amisit. Nominatur apud nostratem Gandolphum pag. 378, et apud Lanteri vol. 3 pag. 197. Accedit relatio Rmi DD. Joachim Lluch Episcopi Salmanticensis, quem libenti animo honoris causa hic commemoro, illum enim ego optime novi dum Lucae

in Thuscia apud suos Carmelitas Calceatos studiorum Regentem cum laude agebat.

Diacovi (di Diacovar) Aug. Ep.

Fr. Gregorius Ordinis Eremitarum S. Augustini an. 1309 inauguratur Episcopus Diacovi in Bosnia, et an. 1314 die 23 Januarii annuente Clemente V onus resignavit. Vide Gams pag. 368, et Theiner tom. I Monumentorum hist. Hungariae pag. 445.

Manillae (di Manilla) Aug. Arch. electus.

Fr. Didacus de Herrera ortus est in oppido Recas in Toletana Archidioecesi ex honestis, catholicisque parentibus D. Michaele de Alameda, et D. Joanna Martinez, qui pueri animum pietate erga Deum, optimisque moribus imbuendum sedulo curarunt. Anno 1545 die 10 Martii in Toletano Erem. S. P. Augustini coenobio solemnia vota emisit, atque deinde cum in virtutibus tum in sacris litteris tantum profectum fecit ut evaserit S. Theologiae Magister nedum valde doctus, verum etiam valde humilis, atque vitae sanctimonia clarus. Potissimum autem commendatur apud scriptores illius fervens Fidei Catholicae dilatandae zelus cum singulari pergami eloquentia conjunctus. Quamobrem an. 1561 ad Mexicanum Regnum profectus fuit, unde postea (1565) ad insulas Philippinas divertit, ubi plura coenobia aedificavit, atque an. 1569 illius Provinciae primatum adeptus fuit. Paullo ante, anno scilicet 1568 Sinensibus mercatoribus se ipsum in mancipium vendiderat, ut sic per vastissimam illam regionem Evangelii doctrinam disseminare posset; quamvis apud illos populos parum profecerit. Nihilominus vir salutis animarum percupidus, quippe qui Sinensium conversioni po-

tissimum inhiabat, in Hispaniam remeare statuit ut a Catholico Rege opportuna huic tanto operi subsidia postularet. Itaque an. 1574 Matritum contendit, et illico a Philippo II omnia postulata impetravit. Regio igitur sumptu sacrorum militum expeditione parata, cum quadraginta nostratibus Sinensium more indutis navim iterum conscendit, atque ad Mexicum prius, et illinc postea prospero itinere usque ad Philippinas insulas pervenit. Narrat noster Gaspar de S. Augustino in sua historia, cui titulus *Conquista espiritual de Filipinas* pag. 14, et 15 quod Regium Consilium Indiarum nostratem Didacum de Herrera Catholico Regi commendavit ut illum ad Manillensem (tunc primum instituendum) Archiepiscopatum Summo Pontifici praesentarit, tradito interea nostrati P. Fr. Didaco de Salmantica tunc S. Philippi Priori, et postea Ep. Portus Divitis mandato de Apostolicis Bullis procurandis, iisque Mexicum transmittendis ut in illa civitate episcopalem ordinationem recipere posset. Verum tum quia ipse absque ulla interposita mora e Mexicanis oris recesserat, tum propter lacrymabile infortunium, quod illi in itinere supervenit, hujusmodi negotium suo effectu caruit. Nam cum Sinas versus navigaret ingens maris tempestas exorta est, quae diu multumque huc atque illuc jactatam navim tandem contra insulam *Catanduanes* rejecit. Ex praefatis 40 nostratibus apostolicis viris partim naufragio perierunt, partim vero qui una cum Fr. Didaco de Herrera ad ripam appellere valuerunt, in manus barbarorum indigenarum inciderunt, qui illos immaniter trucidarunt. En nostratum interfectorum nomina. Fr. Lesmes de S. Jacobo Burgensis, alumnus coenobii Mexicani, ubi professionem emiserat an. 1561, Fr. Franciscus Bello de Castro Marin in Lusitania, Mexici professus an. 1558, Franciscus de Arevalo, item Mexici professus an. 1554, Franciscus Martinez de Viedma alumnus conventus Granatensis, unde Limam transivit an. 1559,

ibique egregii concionatoris nomine summopere floruit Joannes de S. Cruce, de S. Euphemia, professus Salmanticae an. 1551, Bernardinus de Villar de Sax, de Morejon in Archiep. Toleti, in cujus urbis coenobio solemnia vota nuncupavit an. 1574, Rodericus Nuñez de Toleto, et ejusdem civitatis conventus alumnus, Andreas Marin de Pace Augusta, (Badajox) Joannes de Espinola, ac demum noster Didacus de Herrera. Contigit haec tam cruenta clades circa finem an. 1575. Vide Alphabetum Herrerae tom. I pag. 191, et Lanteri vol. 2 pag. 257.

SS. Nominis Jesu (di Zebù) Ep. electus

Fr. Josephus Lopez S. Theologiae Magister ortus est Villanovae de Odra in Hispania anno 1650, habitum induit in coenobio Burgensi, ibique solemnia vota emisit an. 1668. Cum esset publicus Compluti S. Theologiae professor cathedrae honores studio dilatandae fidei postponens an. 1684 ad Philippinas insulas profectus fuit, ubi aliquot Pampangae populos magno cum zelo in spiritualibus administravit, atque aliquot etiam libros eorum idiomate conscripsit. Quatuor vicibus Prior Manillae, et bis Provincialis electus fuit. Tandem etiam Nominis Jesu Episcopatu dignus habitus fuit, quam tamen dignitatem suae cellae quieti praeferre noluit. Cum sanctitatis opinione supremum diem clausit Manillae an. 1725. Ex inscriptionibus, quae leguntur sub effigiebus Episcoporum in Cathedrali SS. Nominis Jesu.

AUGUSTINIANI EP. IGNOTI TITULI

Fr. Joannes de Norimberga, Germanus. erat Episcopus anno 1452. Vide Torellium tom. 6 pag. 828.

Fr. Nicolaus de Cremona vir ob insignem vitae sanctimoniam in magna existimatione habitus circa annum 1452 etiam Episcopali dignitate fulgebat. Vide Ludovicum Cavitellium in hist. Cremonae apud Jo. Lodovicum Graevium in thesauro antiq. Italiae tom. 3 col. 1654, et Torellium tom. 6 pag. 828.

FF. Benedictis, et Thomas Lusitani Episcopi titulares nominantur apud auctorem *Theatri Triumphalis* suppresso aevo, et ecclesiarum titulo. Her. tom. I pag. 109, et 2 pag. 452.

EPISCOPI SUPER QUIBUS ALIQUA CONTROVERSIA HABERI POTEST

Bobii (di Bobbio) Episcopus.

Robertus Lanfranchi, nobilis Pisanus, ab Urbano V anno 1364 creatur Episcopus Bobii in Insubria. Ex hac vita migravit an. 1396. Noster Torellius tom. 6 pag. 232, n. 13 ex Regest. Gen. Bartholomaei Veneti ad an. 1386 sub die 2 Aprilis haec transcribit: *Concessimus Domino Bobiensi, ut fratrem Francischinum de Varzio secum possit retinere pro suis honestis servitiis exequendis.* Ex hoc inferri potest praefatum Robertum fuisse Augustinianum; nam hujusmodi concessiones non fiebant nisi Episcopis Ordinis.

Calaris (di Cagliari) Arch. Aug. electus.

Fr. Angelus Patavinus an. 1563 erat Provincialis Aragoniae in Hispania, et 1569 Caesaraugustae publicus S. Theologiae professor, eumque nonnulli ferunt Archiepiscopum Calaritanum saltem electum (1573) obiisse. Vide

Sardiniam Sacram Ant. Matthaei pag. 104, n. 48, Herreram tom. I pag. 62, et Torellium tom. 8 ad an. 1573, n. 5.

Comacli (di Comacchio) Episcopus.

Philippus Zoboli, Regiensis, anno 1471 eligitur Episcopus Comacli in provincia Ferrariensi, rexitque illam Ecclesiam usque ad an. 1497 quo in patria ex hac vita migravit. Quamvis scriptores illius Augustinianam professionem reticeant, videtur tamen ex nostro Eremitano Ordine assumptus fuisse; nam Generalis Ambrosius Coranus die 28 Feb. 1479 illi concessit ut penes se duos nostrates retinere posset. Hujusmodi concessiones nonnisi Ordinis Episcopis fieri solebant. Vide Torellium tom. 7 pag. 417, Herreram tom. 2 pag. 267, et Elssium pag. 591.

Cretae (di Candia) Arch.

Fr. Philippus Paruta ex primaria Venetiarum nobilitate ortus hortationibus atque exemplis nostratis celeberrimi concionatoris Gabrielis de Garofolis, qui postea fuit Episcopus Nuceriae Paganorum, excitatus in coenobio S. Mariae de Nazareth una cum aliis tribus nobilibus ephebis Andrea Bondimerio postea Patriarcha Venetiarum, Michaele Mauroceno, et Francisco Contareno an. 1421 nostrum Eremitanum Ordinem ingressus fuit. Paullo post solemnem votorum professionem emissam praefato Gabriele duce Ordinem Canonicorum Regularium S. Spiritus sub regula S. P. Augustini instituerunt annuente Martino V an. 1424. Garofolus tamen. an. 1426 ad Eremitanos rediit, caeteri autem in nova Congregatione permanserunt. Philippus Paruta cum esset in utroque jure doctor longe clarissimus primum creatur Episcopus Civitatis Novae in Istria, unde postea Torcellas translatus fuit. Tandem post-

quam Torcellanam Ecclesiam multos annos administrasset an. 1448 creatur Archiepiscopus Cretae, ubi ex hac vita migravit die 12 Januarii an. 1458. Vide Gandolphum pag. 124, Lanteri vol. I pag. 228, Herreram pag. 266, et Gams pag. 401, ubi Philippi regulare institutum reticetur.

Draconariae (di Dragonara) Episcopus

Benedictus Selectus de Neapoli die 23 Julii an. 1451 eligitur Episcopus Insulae in Campania, unde an. 1452 die 5 Januarii Draconariam in Dauniam (Capitanata) translatus fuit. Illius immediatus successor habetur an. 1482. In Ordinis Regestis sub Gen. Juliano Falciglia ea illi tribuuntur, quae valde indicant illum Augustinianum fuisse. Vide Herreram tom. I pag. 107, et Torellium tom. 6 pag. 828.

Fani (di Fano) Episcopus

Fr. Joannes de Seravalle, Picenus, quem Ughellus cum alio Joanne Ariminensi Episcopo Senogalliensi confundit, et quem propterea pluribus dioecesibus attribuit, anno 1412 erat Episcopus Firmi creatus tempore schismatis a Gregorio XII. Interfuit Concilio Constantiensi, in quo ad aliquot Cardinalium instantiam Danthis divinam comoediam in latinum transtulit. A Martino V die 27 Novembris anno 1417 ad Episcopatum Fanensem translatus fuit. Mortem oppetiit anno 1419. Vide Ughellum tom. I col. 667, Herreram tom. I pag. 440, et Torellium tom. 6 ad an. 1417 n. 8. Ab aliquibus scriptoribus dicitur Franciscanus.

Feltriae (di Feltre) Episcopus.

Fr. Gregorius erat Episcopus Sorobolae (di Sorres) in Sardinia, unde an. 1322 die 6 Junii translatus fuit Feltriam in Forum Julium, ubi vita fungitur die 20 Feb. 1327. Apud scriptores dicitur Dominicanus; verum Matthaeus Barsotti in libro de coronatione sacrae imaginis B. Mariae Virginis de Saxo nuncupatae edit. Lucae an. 1693 109 affert sequentes litteras Clementis VI datas Avenione sub die 30 Martii an. 1346, ex quibus patet praefatum Gregorium ad Eremitanum Ordinem pertinuisse: *Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis Priori, et Fratribus Heremitarum S. Augustini domus Lucane. Exhibite Nobis vestre petitionis series continebat, quod bo. me. Gregorius Episcopus Feltrinensis condens in sua voluntate ultima testamentum, inter alia reliquit centum triginta octo florenos auri de Florentia penes mercatores quosdam deponendos, ac per summum Pontificem dispensandos ex certis causis Nobis expositis. Quare Nobis supplicastis quod cum, ut asseritis, praedictus Gregorius, qui de Ordine vestro extiterat, tempore promotionis suae de conventu vestro fuisset, et per vos sustentatus in studio, promotusque ad Magisterium Sacre Theologie non sine vestris magnis sumptibus, ... suddictam florenorum summam in fabricam praedictorum loci, et Ecclesie committendam vobis de gratia concedimus speciali etc.*

Grosseti (di Grosseto) Episcopus.

Fr. Jacobus Tolomei, nobilis Senensis, Urbani VI nuncius, qui illum in Tusciam misit praedicare Cruciatam adversus Antipapam Clementem VII inauguratur Episcopus Narniae an. 1378, transfertur Clusium an, 1383, et Gros-

setum an. 1384. Ad meliorem vitam transivit die 26 Jan. 1390. Apud Franciscanos sepultus fuit; quare huic Ordini a scriptoribus accensetur. Videtur tamen fuisse Augustinianus ex sequentibus verbis, quae ex Reg. Gen. Bartholomaei Veneti ad an. 1386 refert Torellius tom. 6 pag. 283: *Die ultima Sept. conceditur Domino Jacobo Grossetano ut duos fratres de quacumque provincia possit tenere in forma consueta.*

OLIVOLI ALIAS VENETIARUM EPISCOPUS

Dominicus David, alias Orcianus, civis Venetus, anno 946 erat episcopus Olivoli, alias Venetiarum, rexitque illam Ecclesiam usque ad an. 961 quo Episcopatu dimisso Eremitanum S. P. Augustini Institutum amplexus fuit. De illo ita scribit Elssius pag. 173: Dominicus David Episcopus 13 urbis Venetiarum an. 946, cujus effigies adhuc hodie (1654) extat Venetiis in Aula Patriarchali cum habitu nigro, corrigia, et cuculla Ord. FF. Eremitarum S. Augustini. Et Dominicus Sansovinus hist. Venet. edit. 1604 lib. 2 pag. 104, in serie Episcoporum Venetiarum n. 12 recenset *Domenico David Veneto Eremitano.* Item Leander Alberti Dominicanus in descriptione Italiae edit. Venet. 1596 ad calcem inter Venetiarum Episcopos enumerat 13 Domenico David Veneto dell'Ordine Romitano 946, 25 Bonifacio Falerio Veneto dell'Ordine de'Romitani 1131, 41 Michele Catergo Venet. dell' Ordine dei Romitani 1332. En alia argumenta antiquitatis Ordinis Eremitani. Vide etiam Herreram tom. I pag. 195, et Torellium tom. 3 pag. 379, et 391.

Rapollae (di Rapolla) Episcopus.

Gibertus Senilis de Monte-Falco, vir doctus ac vitae severae, a Julio II die 26 Septembris inauguratur Episcopus Rapollae in Lucania, (Basilicata) quo nomine interfuit Concilio Lateranensi V. Onus dimisit cum regressu in favorem nepotis, quo vita functo iterum recepit die 24 Januarii an. 1528. Eodem anno Urbeveteri mense Martio ex hac vita migravit, ibique tumulatus fuit. In Reg. Gen. Aegidii Viterbiensis ea de illo dicuntur ut videatur fuisse Augustinianus. Vide Ughellum tom. 7 col. 884, Herreram tom. I pag. 300, et Elssium pag. 243.

Sanctae Irenes (di Santorino) Episcopus.

Fr. Jacobus Cataluqua, quem Gams pag. 409 appellat Jacobum Calatayud Ordinis S. Dominici, anno 1521 die 10 Feb. eligitur Episcopus S. Irenes, alias Sanctorini in Arcipelago Graeco. A nostratibus scriptoribus ponitur inter Praelatos Augustinenses. Vide Herreram tom. I pag. 439, Elssium pag. 306, et Torellium tom. 8 pag. 74, qui citat acta consistorialia.

Tarvisii (di Treviso) Episcopus.

Fr. Nicolaus Beruti erat jam Episcopus Tarvisii in ditione Veneta anno 1386; nam die 8 Novembris ejusdem anni Generalis Bartholomaeus Venetus illi concessit ut e quacumque provincia duos Religiosos nostri Ordinis, qui ei inservirent, vocare posset. Hinc videtur praefatus Nicolaus fuisse Augustinensis, quamvis apud Ughellum dicatur Dominicanus. Translatus fuit Massam maritimam an. 1394, et postea an. 1404 ad Archiepiscopatum Arborensem (di Oristano) in Sardiniam, ubi illius immediatus successor habetur an. 1406. Vide Torellium tom. 6 pag. 234.

Fr. Andreas Bondimerius unus fuit e quatuor illis nobilibus Venetis adolescentibus, qui duce ac magistro nostrate Gabriele de Garofolis in coenobio S. Mariae de Nazareth Eremitanum Ordinem ingressi, deinde anno 1424 annuente Martino V, dimisso Eremitico Canonicorum Regularium Institutum sub titulo S. Spiritus de Venetiis, et sub regula S. P. Augustini in abbatia S. Danielis in Monte Patavinae dioecesis fundarunt. Noster autem Andreas Bondimerius cum doctrina atque virtute sanctaeque vitae exemplis novam Congregationem praesertim post Gabrielis ad Eremum reversionem alacriter provexisset, an. 1460 die 7 Aprilis Venetiarum Patriarcha creatus fuit. Praefuit laudabiliter usque ad an. 1464, quo ad meliorem vitam die 6 Augusti transivit. Vide Lanteri vol. I pag. 229, Gandolphum pag. 124, Gams pag. 792, et Moroni vol. 91 pag. 481. Lucius Ferraris tom. 6 edit. Parisiens. 1865 col. 1225 Gabrielis Pennoti vestigia sequens appellat *clericos* praefatos quatuor nobiles Venetos Congregationis S. Spiritus Venetiarum institutores, nulla insuper omnino facta mentione de nostrate Gabriele de Garofolis, qui fuit ejusdem institutionis caput. Hoc culpabile Pennoti silentium prodit, uti monet Gandolphus, *malum quemdam genium contra nostrum monachalem Ordinem*. Verum adversus hujusmodi injuriosam reticentiam luculentum habemus nostratis Ambrosii Coriolani auctoris contemporanei testimonium, qui in defensorio verit. I resp. ad arg. 2 scripsit: *Similiter princeps suo tempore omnium evangelizantium Magister Gabriel de Spoleto nostri Ordinis instituit Ordinem S. Spiritus de Venetiis*. Eadem Congregatio cessavit die 28 Aprilis 1656.

Andronicus Milanus in Regist. Generalium ad annum 1494 Episcopus nominatur cum iis circumstantiis, quae satis indicant illum fuisse Augustinianum Eremitam. Herrera tom. I pag. 41. Antonius erat in Reg. Ordinis an. 1479 Episcopus *Firminiensis*, et quantum conjici potest ex Ordine Eremitano assumptus. Herrera pag. 40.

ANNOTANDA, ET SUPPLENDA

DD. Zacharias nuncupatus de Savona, Sacrarii Apostolici Praefectus, de quo agitur part. I pag. 216, juxta Ossinger pag. 151 patriam habuit Millesimum in Liguria Occidentali, fuitque S. Theologiae Magister.

Petrus de Rechas, de quo Crusenius cap. 40 pag. 3, Elssius pag. 568, et Lanteri vol. I pag. 215 verba faciunt videtur idem esse ac Petrus de Rojas, qui non quidem anno 1271, sed potius an. 1591 Episcopatum Asturicensem in Hispania obtinuit. Facilis est in scribendis numeris, ac nominibus propriis amanuensium error.

Aimon de Romagnano in volumine primo *Postremorum Saeculorum* pag. 383 inter Augustinenses Eremitas adnumeratus apud alios scriptores dicitur Canonicus Regularis. Idem dicito de Augustino Mario Episcopo Saloniensi, (vol. 2 pag. 42) et Paulo Benriedtensi Ep. Augustae, qui nominatur eodem vol. 2 pag. 457.

Item e catalogis nostratum Praelatorum, qui habentur *Postremorum Saeculorum* vol, I pag. 213, et 382 vol. 2 pag. 194, et 454, et vol. 3 pag. 196 expungendi sunt Joannes Novoforensis Ep. Olmuciensis, Stephanus Forestus Arch. Strigoniensis, Reginaldus Pecoy Ep. Cicestriae, Antonius Brandanus Ep. Suff. Ulyssiponensis Cisterciensis, Georgius Brun Arch. Maderae Dominicanus, Ray-

mundus Machamaon Ep. Clochorensis, Thomas Offilay Ep. Archadiensis Franciscanus, Joannes de Zumarraga Arch. Mexici item Franciscanus, Sebastianus Varella Arch. Goanus Cisterciensis, et Joannes Waldebius Arch. Eboracensis, qui licet sit Augustinianus, tamen videtur illi errato attributus fuisse Archiepiscopatus illius germani fratris nostratis Roberti Waldebii, de quo fit mentio in hac parte 2 pag. 6.

DD. Antonius Burbano Episcopus Rhosensis, de quo agitur pag. 167, ortus est Pasti in dioecesi Popayanensi die 1 Julii 1776.

DD. Petrus de Arce, de quo pag. 134, decessit anno aetatis suae 85.

DD. Patritius Xaverius de Moura, de quo pag. 204, obiit die 19 Septembris an. 1872.

DD. Dominicus a Pietate, de quo pag. 208, fuit administrator Archiepiscopatus Goani, atque decessit an. 1612.

Sacrilegus miles, de quo pag. 280 saxum in Deiparae imaginem impegit an. 750. Eadem sacra imago a Rmo S. Petri Capitulo coronata fuit die 30 Aprilis an. 1690.

FINIS

IN PARTE PRIMA

	ERRATA	CORRIGE
Pag.	75 anno 1667	anno 1669
	140 Fettapane	Fellapane
	146 anno 1546	Auno 1545
	194 petiti	potiti
	218 au. 1557	au. 1577
	228 an. 1669	an. 1699
	239 an. 1842	an. 1832
	240 1859	1850
	349 non ita multo	non ita multo post
	355 Bened. XIV	Pii VII

IN PARTE SECUNDA

Pag.	14 thologiae	theologiae
	40 rennntiantur	renuntiatur
	42 Nicolaus, Bick	Nicolaus Bick
	45 an. 1374	an. 1274
	50 iisdem	iisdemque
	63 an. 1449	an. 1499
	69 Germanus anno,	Germanus, anno
	82 An. 1670	an. 1670
	93 iuter	inter
	101 confessarius egit	confessarium egit
	112 percupidos	percupidus
	164 Herr. pag. 846	Herr. pag. 346
	177 rn patrio	in patrio coenobio
	179 pag.	pag. 6
	203 an. 1790	an. 1700
	224 nostratis	nostrati
	230 an. 1600	an. 1500
	289 Taguste	Tsgaste
	251 praefatum	praefato
	303 sopprimendum	supprimendum

INDEX CAPITULORUM

IMPRIMATUR
Fr. Raphael Arch. Salini Ord. Praed.
S. P. A. Mag. Soc.

IMPRIMATUR
Josephus Angelini Archiep. Corinth.
Vicesg.

ROMAE

TYPIS BERNARDI MORINI

MDCCLXXVI.